



## **Historiæ Societatis Iesv Pars ...**

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis  
ejusdem Sacerdote

**Orlandini, Nicola**

**Romæ, MDCCX**

Lib. XXIV. Obitus, virtuter, ac præclara facinora infignium aliquot virorum  
è Societate Jesu, ab anno Christi MDXCI. ad MDCVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)



LIBER XXIV.  
PARTIS V.  
HISTORIÆ SOCIETATIS  
IESU.

*Argumentum & Synopsis Libri XXIV.*

Obitus, virtutes, ac præclara facinora insignium  
aliquot virorum è SOCIETATE IESU, ab anno  
MDXCI. AD ANNUM MDCVIII.



ANNO MDXCI. Edmundi Augerii. Stanislai Warsewicii.  
Francisci Ribera. Ignatii Fioli. Hieronymi Plati. Joan. Bapt.  
Piscatoris. MDXCII. Hieron. Domeneci. MDXCIII. Mi-  
chaelis Herrera. Alfonsi Sancii. Michaelis Turriani.  
Martini à S. Dominico. Didaci de Zuniga. Ioannis Mon-  
toya. MDXCIV. Petri Spiga. Francisci Bencii. Vincentii  
Bruni. Ioan. Bapt. Alexandrii. Stanislai Herbesii. Ioannis  
Harti. MDXCV. Franc. Moralis. Ferdinandi Perezii. Pe-  
tri Ferreri. Cosmi Meacensis. MDXCVI. Petri Aloysii. Anton. Mendoza. Emma-  
nuelis Sa. Ioan. Brenneri. Martini Alberri. Ægidii Gonzalis Avila. Ioannis de  
Cannas. Didaci Salazarri. Francisci Rosfilli. Georgii Blaverii. Petri Rodericii.  
Ant. Turriani. MDXCVII. Ildefonsi Lopezii. Iacobi Tyrii. Stephani Tucci. Mutii  
de Angelis. Iacobi Wicci. Petri Canisii. Ioan. Friasii. Emiliani Garcia.  
MDXCVIII. Benedicthi Herbesii. Iacobi Avellaneda. Petri Monroyi. Ignatii Mar-  
tini. Benedicthi Palmii. Clementis Puteani. MDXCIX. Horatii Turcellini. Ioan.  
Bapt. Vanini. Petri Fonseca. Ioan. Castilli. Franc. à Villaregali. MDC. Ludo-  
wici Molina. Thoma de Soto. Henrici Henricus. Didaci de Santiago. MDCI.  
Francisci Cajetani. Francisci Moscosi. Ignatii Mendoza. Petri Velloni. Petri Ber-  
nallii. MDCII. Ant. Henricii. MDCIII. Gregorii à Valentia. MDCIV. Gabrielis  
Vasquis. Michaelis Reyni. Hieronymi Carvalii. Francisci Cardosi. Henrici Ha-  
veri. MDCV. Sebastiani Cabarasi. Ludovici Gusmani. Franc. Aria. MDCVI.  
Caroli Casarii. Fran. Moreni. Theodorici Canisii. Iacobi Gusmani. Michaelis à  
Fontibus. Alexandri Hunnæ. MDCVII. Achillis Galliardii. Petri Divisia. Mi-  
chaelis Rogerii. Luca Ellentzi. Conradi Onneckinki. Franc. Benavidis.

DUPLICEM Historiæ dotem esse nemo nescit; unam ut præteriti memoriam  
temporis conservet; alteram ut futuri temporis mores idoneis exemplis in-  
firuat. Quia face res majorum præclare gestas illustrat, eadem posteris viam  
quam

quam sequantur, ostendit. Neque vero ille victor gentium populus eam tantum ob causam imagines avorum in atriis tam diligenter asservabat, ut haberent illustres familiae monumenta domestica nobilitatis; verum etiam ut eorum recordatione conspectuque incenderentur ad virtutes majorum imitandas. Eodem consilio Divorum laudes, & martyrum palmas Ecclesia suis alumnis præcipue proponit, ut ipsorum consequi vestigia studeant, & imitari non pigeat quod celebrare *delectat* \*. Atque hic maxime fructus ex historia petendus est. Ea me causa potissimum impulit ut in hunc, & sequentem librum conjicerem illustriora quædam exempla virtutum, & res præclare tum in vita, tum in morte gestas à viris aliquot insignibus nostræ Societatis, quorum obitus in aliquem hujus Tomi posterioris annum incidit, & de quibus fieri commodè mentio superioribus in libris non potuit, ne sæpius interrupta narratio caligaret. Porro in iis recensendis non alium ordinem, quam annorum sequemur: neque omnes appellabimus, sed quosdam tantummodo notiores; & ubi dignum erit, universæ illorum vitæ summa quasi vestigia relegemus.

SESANA oppidum est non ignobile in eo Galliæ tractu, qui Bria dicitur. Ibi ortus est humili loco P. Edmundus Augerius anno millesimo quingentesimo trigésimo. Primis litterarum rudimentis ab avunculo, finitimi pagi parochi, imbutus, Lutetiam ad fratrem suum natu majorem, Stephanum Augerium, missus est à parentibus, ut ejus auctoritate opibusque fretus commodiorem aliquam in hac nobili academia vitæ conditionem nancisceretur. Sed is Lugdunum fuerat evocatus, ut ibi Græcas ac Latinas publicè doceret litteras, quas Lutetiæ professus præcipua ingenii & eruditionis laude fuerat. Lugdunum Edmundus proficiscitur, & in fraterna schola tantos exiguo tempore progressus fecit, ut natum ad majora conjectans frater, illum minimè recusantem Romam allegaverit ad Petrum Fabrum, Societatis Jesu sacerdotem, quo Parisiis antea familiariter usus erat. Ubi Romam pervenit Edmundus \*, exhausto tenui viatico, incidit in P. Pontium Gogordanum, Romanæ Professorum domus procuratorem, & è veste ac modestia, Fabrum, descriptum sibi à fratre, suspicans, salutatur comiter, ac Factum bene, inquit, mi Pater, quod in te inciderim; opinor enim ille es Petrus Faber, ad quem habeo litteras. Non sum, ait Pontius; & quem narras Faber jam diem suum obiit abhinc fermè triennium. Me vero miserum, subjicit puer ingemiscens, hujus unius causa & fiducia tam longè à patria profectus sum! Neque quid agam nunc, aut quo me vertam scio, rebus omnibus destitutus. At ego te oro, atque obtestor, ne advenam adolescentem deferas: habes ad omnia paratum. Sequere, ait Pontius; non defuerit fortasse domi nostræ quod agas. Sequitur Edmundus, & curare nescio quid rei domesticae jubetur. Id cum impigrè faceret, nec parva ingenii, ac indolis optima signa daret, observabat adolescentem Ignatius, Romanæ tunc domus, & Societatis universæ Præpositus: cumque aliquando in sermone familiari cum æqualibus Augerius dixisset, se, si liceret per patrem-familias (ita sanctum Ignatium appellabat) libenter Societati nomen daturum, B. Pater puerum advocans, nomen, genus, patriam, sciscitatur; Latine etiam scire, ac poeseos non rudem esse cognoscit. Mox; Placet, inquit, eruditionis tuæ periculum facere: scribes epigramma quo volueris argumento, & ad me perferes. Paucis post diebus Edmundus versus à se conscriptos offert: Ignatii laudes non inculto carmine celebrabat. Cui subridens B. Pater Num, ait, hæc in me convenire putas omnia? Equidem, retulit puer, nullus dubito quin talis planè sis, qualem te esse decet, qualem esse fama prædicat: ceterum, ut ingenue fatear, id non nimis laboravi scire: quemadmodum versus bonos conderem, id laboravi. Amavit candorem adolescentis Ignatius, & Patri Hieronymo Natali negotium dedit, ut illi humanitatis & rhetoricæ præcepta traderet. Renunciavit non ita multo post sancto Patri Natalis, adolescentem admirabiliter proficere, esse ingenio excellenti. Ignatius, re considerata, spectatis pueri moribus, & incenso amplectendæ Societatis desiderio, non modo illum admisit, sed ipse ad religiosæ vitæ perfectas virtutes fingendum institutumque sumpsit.

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

E e e e

Ac

\* S. August. serm.  
47. de Sanctis.S. I.  
P. EDMUNDUS  
AUGERIUS.A.C. 1591.  
Soc. 52.

Anno 1549.

r.  
AS. Ignatio coop-  
tatur in Socie-  
tatem. Litteras  
docet in Italia:  
mittitur in Gal-  
liam.

Ac primùm generosam & vividam, sed naturali quodam impetu præservi-  
dam indolem domare ac subigere institit, fatis gnarus initium veræ virtutis a  
frenandis animi motibus protervis esse faciendum. Unum hoc exempli causa  
ponam. Ministrabat Edmundus ægrotis domi: januam valerudinarii parentem,  
dum abiret festinus, reliquit. Ignatius, re comperta, illum toto die stare ante  
illas fores, & quidem jejunum, jussit. Sæpe eundem hortabatur ut se vinceret,  
futurum affirmans ut non modo gratiam à Deo iniret ampliorem, quàm ceteri,  
quibus mitior indoles obtigisset; verum etiam ut illustrius divinæ gloriæ ampli-  
ficandæ utilihisque serviret. Sapientem magistrum tam prudenter ac sanctè mo-  
nentem non frustra, nec segniter, tiro magnanimus audivit. Quare nescio cui è no-  
stris Edmundum identidem accusanti, quasi minus docilem tractabilemque, res-  
pondit Ignatius, qui virtutis modum non facilitate naturæ, sed cupiditatum vi-  
ctoria metiri consueverat, eum longius in pietatis via paucis mensibus processis-  
se, quàm duos quosdam alios ejus æquales, qui propter mores placidissimos ce-  
teris præstare virtute putabantur. Ad hanc normam sibi à B. Patre præscriptam  
mores deinde suos Edmundus exegit, ac sacerdotio litterisque tum sacris tum  
profanis instructus, eas docuit Perusiæ, Romæ, Patavii, & ubique præceptoris  
Christiani, ac religiosi numeros omnes implevit. Neque tamen assiduo & mo-  
lesto docendi onere impediabatur, quin prodiret interdum ad verba publicè fa-  
cienda, & extemporali ut plurimum oratione jam tum promeret insignem fa-  
cundiam, quæ primùm illi postea inter ævi sui sacros oratores locum promeruit.  
Illustrem ad eam explicandam campum ipsi Gallia præbuit. Regnum Christiani-  
ssimum hæresis Calviniana vexabat. Patroni novitatis alii vi & armis illam  
obtrudere conabantur, alii eruditionis ambitiosæ ac pestilentis toxico mistam  
insinuabant. Utrisque Societas resistebat impigrè; alteris patiendo fortiter, al-  
teris utiliter docendo. Suppetias ex Italia Socii venit Augerius anno MDLIX.  
accitu Episcopi Apamiensis, qui collegium suæ urbis cura Societatis & regimini  
committendum censuerat. Edmundus impiorum voces ac minas sacris concioni-  
bus fregit, audaciam patientia & constantia debilitavit; ac denique anno se-  
quenti collegium summa omnium approbatione aperuit.

Per idem tempus Cardinalis Turnonius ægerrimè ferens irepsisse, vitio ma-  
gistorum, hæresim in collegium à se conditum Turnonii, alios querebat, quo-  
rum ope, non solum hoc detrimentum sarciret in præsentia, verum etiam in po-  
sterum longissimè arceret. Societatis igitur præceptores à Lainio, Præposito Ge-  
nerali postulavit, Profectus eò Edmundus, concionandi, tradendæ Theologiæ, ex-  
plicandarum de quæstionibus ad Fidem pertinentibus controversiarum, ac paulo  
post ejusdem collegii regendi onus suscepit. Confluebant ad eum audiendum  
certatim catholici, nec ambulare triginta passuum millia, aut etiam plura,  
cunctabantur, ut operam dicenti darent. Hæretici contra senescere in dies aucto-  
ritatem suam, & gregem imminui fremebant.

Nec diu conceptum animis odium continuerunt, præsertim cum, difficillimis  
istis temporibus, rerum potiri viderentur in plerisque Gallia locis. Valentianum  
Delphinatum, quò progressus ad concionandum erat, dolo ceperant. Guber-  
natore urbis catholico, ex adium suarum fenestra suspensio, manus Edmundo  
injiciunt. Rapitur ad patibulum, & ex infelici arbore cuncta, quæ pro tuenda  
Fide catholica dixerat, recantare palam jubetur. Ille vero eadem oris dignitate  
& constantia, qua suggestum solebat, scalam feralem conscendens, clara & li-  
bera voce gratis immortalibus Deo actis, pro mortis gloriosæ beneficiæ, repente  
orationem ad marentes catholicos, qui aderant ex urbe tota collecti; mox ad  
hæreticos oyantes, gestientesque, convertit. Illos consolari: horum animos fe-  
roces sic mitigare, sic insectere victrici facundia cepit, ut ancipites ac defixi  
hærent: ipsorumque unus ad militaris turmæ ductorem, qui luctuosæ tragediæ  
præerat, accurrens, oraverit ne supplicium sumere festinaret: posse hominem  
hunc vinci adhuc, & expugnari: si avulsus à catholicorum partibus fuerit, ma-  
gnum novæ doctrinæ decus & præsidium accessurum. Ergo, plaudentibus uni-  
versis, reducit Edmundus in carcerem, ubi telis omnibus & insidiis appetitus  
ita

2.  
Ad patibulum  
ducitur ab heret-  
icis. Eorum  
amplius XL  
millia reducit  
ad Ecclesiam.

ita conatus inanes eludit, ut hostes invitos admirantesque profligaret. Interim nactus evadendi opportunitatem, subdixit se Billomum. Profuit Christi famulo servari non tam ipsius causâ, cui *Christus vivere, & mori lucrum* \* erat, quam eorum, qui hunc perditum cupiebant. Periissent illorum quadraginta minimum millia, si unus tunc Edmundus periisset. Totidem enim à mendacii transverso tramite in rectam veritatis & vitæ viam postea restituit. Billomo in vicinas urbes, Claromontium, Riomum, Issodorum, Montem-ferrandum, Curtipetram, Marengium; confestim procurrens, conciones summa omnium approbatione fructuque habuit; orandi modum per horas quadraginta perpetuas, & morem, instituit: catholicarum carimoniarum, quas deterere & obscurare tentabat hæresis, splendorem revocavit. Fugiebant, audito ejus in aliquem locum adventu, magistri erroris ac discipuli, & nocturnarum instar, in suas se tenebras procul abdebant, dum alumni veritatis sæpe ad viginti millia concurrebant auscultandi causa, unoque omnes ore testabantur patrem Edmundo adhuc auditum in Gallia profusum esse neminem.

Nusquam id verius dictum apparuit, quam Lugduni. Nobilissima civitate regi regnoque restituta, divinum sacrificium, quod per diu intermissum fuerat, celebravit in templo urbis primario, & in medio sacrificio verba fecit ad infinitam populi multitudinem; catholicis facundiam & pietatem, hæreticis modestiam oratoris prudentiamque laudantibus. Quanto veriores erant laudes, quas ipsi hæretica factio vel invita tribuebat, tanto erant improbis molestiores. Rursum in capitis invisi perniciem conjurarunt. Itaque primores civitatis militarem illi custodiam, quocumque pergeret, addiderunt. Sed omni custodia firmissimum præsidium erat caritas & benevolentia oppidanorum, quorum plerique ab ejus latere diu noctuque non discedebant. Civium studiis egregiè respondebat: cumque anno MDLXIV. ac rursum MDLXXXI. incubuisset Lugduno dira lues, stragemque funestissimam ederet, adeo ut plerique inter colloquendum, in ipso vestigio, mortui conciderent; cunctis passim diffugientibus, restitit Edmundus, agrorum spes, morientium solatium; huc illuc inter utrosque discurrens, & vitam singulis momentis in discrimen certissimum objiciens. Eodem auctore votum Aniciensi, ac Lauretana postea Deipara, factum nomine urbis fuit, quo nuncupato, compressa mali vis paulatim elanguit. Lugdunenses Augerio tanquam salutis publicæ parenti, & Fidei conservatori, egere gratias, & Carolus IX. Gallia rex, cum Lugduno transfret, illum benignè complectens, ut in hunc modum de regno, ac de se, bene mereri pergeret hortatus est.

Parentis patriæ nomen, à Lugdunensibus concessum, Edmundus vacuum & inane non gessit. In arcem urbis irrumperere tentabant avitæ religionis hostes per occultos cuniculos. Eorum consilia detexit: arcis præfectum admonuit; deprehensa sunt in conjuratorum ædibus omnia meditati sceleris indicia. Hoc periculo discusso, aliud multo gravius imminabat. Iidem regni perturbatores urbem noctu occupare decreverant. Clam adrepebant per itinera devia milites; certamurorum pars, quam quæque cohors admotis scalis insiliret, assignata: tempus ad invadenda mœnia constitutum, quando mediæ noctis signum ab horologio ædis sacræ Divi Nicetii daretur. Edmundus pro salute communi excubans, auctore certo rem comperit, quatuor duntaxat, ante destinatum facinori tempus, horis. Ad gubernatorem urbis advolat, & quæ in rem esse videbantur suggerit; dumque raptim copiæ per mœnia disponuntur, ipse dat operam, ut horologia urbis omnia confuso ac perturbato strepitu nihil certum sonarent: illud vero S. Nicetii penitus conticesceret. Adsunt hostes per tenebras: signum expectant aure suspensa, cumque à majore Sancti Nicetii horologio nihil quidquam audiretur; alia nihil certi renunciarent, nonnulli moram exosi faciunt impetum in muros, & à paratis catholicis facillè trucidantur; alii subinde aliis irrumpentes locis, citius, seriufve, dejecti singillatim, & mactati, absque consilia sagacitate unius hominis conturbata esse doluerunt.

Eximia Augerii eloquentiæ majus theatrum parabatur. Parisios venerat \*, negotium quoddam Tolosani collegii apud Regem acturus. Quo è sententia tran-

Ecccc 2

facto,

\* Ad Philip. x.

3.  
Lugdunum re-  
purgat ab hære-  
si: lue vexatum  
solatur: tuetur  
ab hæreticorum  
insidiis.

\* Anno 1566.

4. Lutetiam evocatus regii concionatoris & confessorii munere fungitur.

facto, jussu Episcopi dicere ad populum in celeberrimis templis exorsus, expectationem, quam de se concitaverat, non explevit modo, sed etiam superavit. Vix illum Rex demigrare passus Metas, ubi Cardinali Lotharingo condixerat Edmundus, ad sacras per Quadragesimam conciones, Lutetiam redire quamprimum jussit, & in regia conciones habere ordinarias. Ita primus est Societate Jesu regii concionatoris in Gallia munus est adeptus, quod singulari virtutis & doctrinae commendatione gessit sub Carolo IX. itemque sub Henrico III. cui à sacris confessionibus etiam fuit. Metas ut paulo post reverteretur fecit effrenata haereticorum in eadem urbe audacia, ad quam compescendam regiae auctoritatis praesentia Edmundus Christianae vim eloquentiae addidit. Dicebat frequentissimo procerum & aulicorum confesso, ad catholicos pariter & haereticos, bis terve quotidie: horum technas in depravanda theologia, malam fidem in citandis Patribus tum Graecis tum Latinis; inscitiam in errore defendendo, proferebat; catholicorum accusabat amicè socordiam, damnabat levitatem, flagitia graviter increpabat. Porro utrisque non tantum verbo proderat, sed etiam exemplo. Parabilem ac vilem semel in die fumebat cibum; post sacrificium & matutinam concionem aures contentibus commodabat; aut aegros in nosocomiis, vincetos in carceribus, milites in arce, virgines Deo sacras in coenobiis, adibat. Pomeridianis horis doctrinam Christianam pueris primum ac rudibus; deinde populo, explicabat. Diurnum laborem nocturna precatione, studio sacrarum litterarum, corporis maceratione, leniebat. Floret adhuc Metis ab illo instituta sodalitas Sanctissimi Sacramenti, magnum illis temporibus veritatis catholicae propugnaculum; magnum etiam nunc ornamentum; inducta ab eodem pluribus locis sodalitates poenitentium, ut vocant; qui pia & religiosa crudelitate ad propitiandum Numen in sua corpora saeviebant. Idem certas posuit leges sodalibus Tolosanis à Misericordia nuncupatis, quae auctoritate Summi Pontificis ac decreto confirmatae fuerunt, magno miserorum, praesertim in vinculis jacentium, emolumento. Earum legum praecipuae sunt, ut qui cooptantur in istos coetus lectissimi viri, seu feminae, singulis hebdomadis unum aliquem è publicis carceribus invisant; ut curent habendam ad vincetos feria qualibet sexta concionem; ut adint iisdem morientibus; ut suppeditent aegris, si qui sunt illic, cibos & medicamina; valentibus vestes culcitaeque; obaratis nummos; litigantibus patronos & caudicos; supremo supplicio afficiendis solatia & praesidia tunc necessaria; mortuis exequias adornent. Idem Edmundus pium revocavit atque amplificavit morem, divinum Viaticum, quando ad moribundos deferretur, stipendi deducendum. Idem Lugduni primum instituit, quod in alias deinde manavit civitates, ut vaga mendicabula unum in domicilium collecta, utili labore vires ac tempus exerceant; vel, si labori par aetas imbecillitasve non esset, alerentur publica pecunia; vel denique instructi viatico domum remitterentur. Sic depulsa mendicantium, & obstrepentium in templis, in plateis vicisque, molestia; otium, scelus formos, mutatum honesta occupatione; corporibus miserorum animisque consultum. Eadem impensa pueris ac puellis, orbatis parente utroque, aut incerto genitis, cura. Recognovit etiam, cum doctoribus delectis, bibliopolarum Lugdunensium tabernas, & pestilentes secrevit libros, quorum acervus ingens triduo toto publice concrematus; pulsi oppido ludimagistri depravatae aut suspectae religionis; instructae pluribus in locis officinae, unde census stabilis, ad sublevandam pauperum inopiam, peteretur. Has inter publicae rei curas Societati non defuit. Collegia Tolosanum, Apamiense, Lugdunense, Burdigalense, Divionense, Mussipontanum, ab eo propemodum dici possunt condita: aucta vero fuere ac firmata Turnonense, Avenionense, Camberienense, Rutenense, Bituricense, Dolanum, ac Parisiense. Nec nihil adjuvit, pro ea qua valebat apud Carolum IX. gratia, ut acciperetur & locum in regno inveniret sacer Capucinatorum Ordo, quorum austeritas Evangelica nonnullis displicebat eo tempore, quo morum severitatem opinionum licentia vehementer laxaverat. Egit illorum causam sedulo Edmundus, & ostendit nimis magnam virorum proborum in Christianissimo regno copiam esse non posse;

posse: neque ullum fieri publicè dispendium iis alendis, quorum eruditio, vita, vox, tam salutaris, tam necessaria, catholicis foret.

Deerat unum P. Edmundi gloriæ ac virtuti; nimirum ut tentatione probaretur\*. Cum passim tota Gallia rumor increbresceret Henricum III. tueri segenius religionem, & catholicâ causâ prævaricari; palam est de regno illi abrogando conjuratum à præcipuis Galliæ civitatibus, renovatumque fœdus, pro tuenda, ut aiebant, religione catholicâ paulo ante sancitum. Edmundus, à Rege, cujus pietatem habebat exploratam, stans, Gallos ab isto fœdere vehementius avocabat, adeo ut ejus consiliis Regem depravari, regnum pessundari ac religionem, ipsimet catholici clamarent. Itaque moderatores Societatis illum ab aula removendum censuerunt. Id ubi cognovit, nihil interposuit moræ quin obtemperaret: ac discedendi veniam summis precibus impetravit à Rege, quam nemo alius extorquere potuisset, quamque ab Edmundo ipso posse obtineri omnes diffidebant. Dederat enim Henrico III. diploma Sixtus V. quo potestatem ipsi faciebat *retinendi P. Edmundum Augerium apud se quandiu libuisset*: jubebaturque Præpositus Societatis *eundem in obsequio Regis ac potestate relinquere*. Quamobrem Augerii virtus admirationi fuit, cum hoc diploma sibi olim à Rege datum P. Laurentio Magio Visitatori reddidit. Exstat illud in tabulario collegii Lugdunensis, cum appendice manu Augerii scripta III. Nonas Julii anni MDLXXXVIII. qua potestatem utendi hoc diplomate abdicat, illudque P. Magio à se traditum testatur. In Italiam è Gallia recedens occupatos iniquis rumoribus, & alienatos à se animos deprehendit. Romam properanti, ut Pontifici ac Societatis Præposito vitæ suæ & consiliorum redderet rationem, objecta mora est. Venetias amandatus, inde revocatus Bononiam, postea Mediolanum regressus, cum tentari morbo cœpisset, Comi in Longobardia substitit, ibique annos sex admodum & sexaginta natus, mortem obiit XIV. Kalend. Februar. æquitate animi summa & tranquillitate; major visus, cum sic jaceret, partim calumniis, partim infestis suspitionibus oppressus; quàm cum staret antea, & floreret. De illius in cœlo gloria quædam non aspernandis auctoribus comperta narratur\*. Verum id certius persuadet spectata viri virtus, ac præsertim patientia in adversis, & animi Christiana submissio, qua vix honorem quarti, quod Professus Societatis edunt, voti admisit, eo se indignum judicans: & oblatas a Rege Christianissimo dignitates Ecclesiasticas, atque adeo Romanam purpuram, recusavit.

Cum pauperibus, & mortalium infimis, libentissimè versabatur; eorum suscipiebat causas, egestatem quacumque posset ratione sublevabat. Doctrinam Christianam pueros ac plebem docebat cupidissimè, visumque narrant, morte obita in cœlum ferri, puerorum choro splendente cinctum. Nemo de illatis sibi injuriis expostulantem, nemo res à se gestas prædicantem audivit. Cum propinquos & affines opibus augere ac honoribus posset, in eos durior quodammodo, quàm in ceteros, videbatur. Obedientiam nominabat Societatis Jesu virtutem: neque illam verbis tantum, sed factis quoque commendabat. In Galliam, in Italiam, per obseptas periculis vias, ire sæpius ac redire; aulam, in qua Principi suo erat acceptissimus; patriam tot beneficiis sibi obstructam; & collectam tot laboribus gloriam, jussus relinquere, nihil, quomînus parèret, objecit. Sobrietatem in victu, modestiam in sensibus coercendis, consuetudinem orandi, & piæ cum Deo familiaritatis gustum, austeritatem in cultu corporis, tanquam certissima propugnacula castitatis, adhibebat. Quam in sermone sæpius laudabat penitentiam, hanc docebat vitâ: cum mulieribus raro; cum viris prudenter; cum omnibus piè, loquebatur; tantaque tum comitate, tum sapientia, ut pauciora semper dixisse, quàm plura, censeretur. Sive ageret è suggestu cum populo, sive cum aliquo seorsum dissereret, hoc servabat ut sermonem ad cujusque mores, institutum, ingenium, accommodaret; ineratque tanta dicendi vis, eruditio, ardor, impetus a natura instus & perpolitus ab arte, a cœlesti vero gratia cumulatus, ut eloquentiæ primas ferret; consentiensque sit complurium ejusdem ævi scriptorum vox, nihil in Christiano dicendi genere fieri potuisse perfectius.

5.  
In Gallorum Henrico III. infensorum odiû incurrit. Amandatus in Italia, obiit Comi.

\* Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.  
Job. c. 12.

\* Ejus vitæ Lib. III. cap. 6.

etius. Interroganti aliquando, quibus parari libris eloquentia sacra posset: Paulo, & Chrysoftomo, legendis ac meditando, respondit.

S. II.  
P. STANISLAUS  
WARSEVICIUS.

UT Galliam Edmundus, ita Poloniam illustravit qui Cracovia supremum eodem anno MDXCI. diem clausit V. Non. Octob. P. Stanislaus Warsevicus. Nobili natus loco in Polonia, post exactam inter affluentes opulentæ domus delicias pueritiam, studiorum causa missus in Germaniam est, ubi Philippo Melanchthone magistro usus, hæresim aureo porrectam litterarum poculo combibit. Reverlus triennio post in patriam, Lutheranos errores, ut recens testa odorem quo primum est imbuta, diu retinuit, licet in aula & comitatu catholico regis Polonia, quò illum avita vocaverat nobilitas, degeret. Commendatione ingenii non vulgaris, cum indole præclara & generis claritate conjuncti, facile se in gratiam Regis insinuavit, & Ecclesiasticis honoribus opibusque, tametsi de sacerdotio parum cogitans, auctus est. Interim, Deo meliorem inspirante mentem, cepit ipse per se se Melanchthonis doctrinam, quam avide hauserat inductus auctoritate sola docentis, expendere attentius, & scrutari eequid cum scitis antiquorum Patrum, & verustatis memoria, congrueret. Immane quantum illam abis abhorre deprehendit. Puduit falsitatis: errati pœnituit. Non modo rediit in viam, sed alios etiam ut revocaret ab errore laboravit. Quod ut facilius consequeretur, sacerdotio initiatus aulam, marentibus & reluctantis propinquis, deseruit, idque eo ipso tempore, quo illi Episcopatum Sigismundus deferebat. Secessit in Gnesnensem diœcesim, utque innata quadam facundia pollebat, ad populum facere verba est aggressus.

6.  
Cognoscit Societatem, & amplectitur. Polonia & Suecia operam navat.

De certo vitæ statu amplectendo inter hæc deliberans, Cardinalem Stanislaum Hosium, spectatæ integritatis ac sapientiæ præfulem, convenit. Erat illenuper è Concilio Tridentino reversus, ubi Societatis institutum cognoverat, ac Patrum eruditionem, modestiam, pietatem, suspexerat. Eas laudes, & vero susceptum ubique à Societate adversus hæreticos bellum, cum prædicaret frequens, Warsevicium nonnihil commovit. Eundem Brunsbergam deduxit, qua in urbe collegium Societatis fundaverat. Miratur locum Warsevicium, eumque sibi puero in somnis olim monstratum recognoscens, prodeuntem è nostris unum, Petrum Phacum salutatur, colloquitur, & humanitate viri allectus, suam de vitæ statu deligendo sollicitudinem aperit. Phacus relictam nobis à S. Ignatio hujus deliberationis ritè instituendæ methodum, viamque planissimam, respondet, simulque totam Spiritualium, quæ vocamus, Exercitiorum rationem exponit. Hic Warsevicium; Rem optatissimam narrat, nec erit in me quidquam moræ, quantum domestica quæ instant negotia sinent, quin periculum faciam. Postquam se rebus domesticis exsolvit, adest; seducitur in conclave secretum, & sacris meditationibus excolitur. Ubi ad *Regulas Electionis* à S. Ignatio præscriptas ventum est, ibi enimvero inter Deum vocantem, & revocantem mundum, paulisper fluctavit. Abhorrebat animus à religiosa humilitate, obedientiæ jugo, abdicandis vitæ commodis. Pervicit nihilominus, & cunctantem impulit propriæ salutis æternæ amittendæ, si Deo repugnare pergeret, metus; & alienæ procurandæ jamdudum divinitus injecta cupiditas. Utriusque rei porro conficiendæ majorem in Societate facultatem sibi futuram arbitratus, ei totum se dedit, & Romam profectus, in tironum gregem adscitus est VIII. Kal. Decemb. anni MDLXVII. annos septem & triginta natus. Quatuor inde ac viginti annis in Societate ita vixit, ut modestiæ, caritatis, obedientiæ, humilitatis, ardoris ad vitia debellanda, & profligandum errorem, exempla posteris imitanda reliquerit. Primus collegio Vilnensi per octo annos præfuit: & in D. Joannis æde conciones, magnæ sacræ facundiæ fama, diu habuit. Inde Lublinensè collegium sexennio gubernavit. Ad hæreticos, quorum artes & effugia callebat, refellendos deprompta è Latinorum Græcorumque Patrum monumentis habebat arma, quæ nullo negotio expediebat. Eorum complures è prima Polonia nobilitate reduxit in Ecclesiæ sinum. Nutantem in Suecia, quò missus à Gregorio XIII. fuerat, religionem toto quinquennio per summam laborem sustentavit. Quo tempore Sigismundi Principis, qui postea Rex Polonia fuit hujus nominis tertius, pueritiam optima disci-

disciplina, sanctissimisque institutis, formavit. Diem fortunatum, quo vitam in Societate religiosam sequi decreverat, annua memoris animi significatione recolebat: *omnia sibi bona venisse pariter cum illa* \* haudquaquam temere existimans. In contemplandis naturæ divinæ dotibus adeo erat assiduus, ut in ea cogitatione una videretur totus esse \*. Anno MDXC. provinciæ Polonicæ procurator electus, Romam venit. Reversus Cracoviam, unde morbi publicè grassantes plebrosque religiosos viros abegerant, summa contentione flagitavit ut sibi liceret in eadem urbe ad ferendam laborantibus opem consistere. Quod impigrè dum præstat, correptus ipse morbo, Christianæ præmium caritatis moriendo fortiter tulit. Eundem narrat aliquot post obitum annis \*, Patri Petro Scargæ graviter ægrotanti spectandum se dedisse, auctoremque illi fuisse ut decem à Deo postularet annos, quos postea Scarga vixit.

Idem annus virum insignem ademit Hispaniæ, Franciscum Riberam, annos tantum quatuor & quinquaginta natum; quem editi sacram in scripturam commentarii celebrarunt. Attulerat ad hoc studii genus insignem linguæ Græcæ & Hebraicæ notitiam, quas, antequam Societatem iniret, accuratè perdidicrat primum Salmanticæ, deinde in oppido natali Villacastino. Rerum humanarum pertæsus delitescere statuerat in patria, & in elucubrandis libris otium utiliter ponere, neque domo, nisi ad obeundas interdum sacras conciones prodire. Hæc animo agitantem offendit, qui forte iter illac habebat, Pater Martinus Guttierius, regendarum animarum peritissimus, quo Salmanticæ familiariter usus erat. Probavit consilium Guttierius, addiditque, id in eo ad perfectæ vitæ cumulum desiderari, quod suam sibi voluntatem arbitriumque retineret; præ hoc tamen uno reliqua parvi esse.

Percussit ea Riberam vox, ac Deo quod optimum haberet offerendum ratus, se gratum ipsi ac vivum holocaustum in Societate obtulit, anno Christi MDLXX. emensus ipse annos tres ac triginta, Quinto post anno, primus è nostris sacras litteras interpretatus est in Salmanticensi Societatis collegio, in quo docendi munere sexdecim continenter annos explevit, ingenii & eruditionis opinione singulari; nec minori virtutis & sanctimoniam. Hanc hauserat à suo tirocinii magistro P. Balthasare Alvare, cujus vestigiis imitator sedulus institit, dignus doctore tanto discipulus. Riberam sancta Theresia, quam sacra confessione noxas expiantem per aliquot annos audivit, magni faciebat, & à Christo Domino ut ei diligenter auscultaret fuisse admonita perhibetur. Oratione studium adjuvabat consecrabatque, lumen à Deo identidem exoptens accurata prece, addito interdum jejunio, & aspera corporis vexatione, si quid difficilioris nodi occurreret. Obedientiam, utpote Societatis tesseram, colebat impensè, regularum vel minimarum rigidus custos, & à moderatorum totus pendens nutu, quem ab iis exquirere consueverat, obtestans ut, non quod vellet, sed quod ipsis videretur, imperarent; seque illis tractandum versandumque summa libertate permittebat. Conspectum post mortem ferunt inter cœlites, radiis à Numinis folio in ejus pectus profusus insigniter micantem, eam ob causam quod vanam humanæ gloriæ lucem sectatus nunquam in terris, unice divinam spectavisset. Proditur illius effatum permagni ad litteras momenti; Nempe in omnibus disciplinis adhibendos magistros multorum annorum usu contritos ac perpolitos; plus enim una præceptoris veterani & perfecti schola profici, quàm plurimis aliorum.

PERTINET ad hunc, aut superiorem, annum obitus P. Ignatii Fioli, in Australi America: qui cum præfesset Socii, in Orinocano tractu Evangelium promulgantibus, ac Deum in adicula precaretur, ab Indis quos Caribas appellant, immanissimè trucidatus est, incussis capiti præcussis sudibus, quæ illis arma vulgò sunt. Ejus corpus spoliatum & raptum barbari ludibrio habuere, donec à vicinis populis, qui ejus virtutem habebant cognitam, redemptum, ac terræ mandatum fuit. Menses aliquot effluxerant, cum unus è nostris in decentiorem asportare locum ejus ossa decrevit. Reserato tumulo deprehensa caro est lacti coagulato similis, & fetoris expers. Cum vero necessarius ad superandum flumen adversum, cui arcu prætioso gravis pondere imponenda erat, abesset ventus,

con-

\* Sapient. VII.

\* Vide III. Part. Hist. Lib. VIII. num. 202.

\* Anno 1604.

S. III.  
P. FRANCISCUS  
RIBERA.

7.  
Ejus ad Societatem vocatio: & vita vocationi consentiens.

S. IV.  
P. IGNATIUS  
FIOLIUS.

8.  
A barbaris Americanis mactatur.

continuo secundus & vehemens adfuit, piamque sarcinam brevissimo tempore detulit in portum. Ibi res mira oculos omnium animosque percussit. Efferebatur locus magno sacerdotum & populi concursu in templum, in quo picta visibatur tabella puerum JESUM exhibens. Hunc stipabant picti à latere quidem dextro SS. Ignarius & Xaverius; à sinistro, viri è nostris pietate ac rebus gestis insignes. Inter istos arcana manu depictus subito apparuit Pater Ignatius Fioli, summo eorum qui frequentes aderant, stupore. Hanc imaginem, & expressum in ea Patris Ignatii Fioli vultum, qualis erat omnino dum viveret, se vidisse testatur P. Julianus de Vergara, qui mortem ejusdem, eo quo narravi modo Hispanicè scripsit, & ad Patrem Gabrielem Sierram, præpositum provincie Aragoniæ, misit.

## S. V.

PP. HIERONY-  
NUS PLATUS, &  
JOAN. BAPT. PI-  
SCATOR.

9.  
Ejus ratio tiro-  
nes instituendi.  
Præcipue sancti-  
tatis indicia.

INCIDIT obitus P. Hieronymi Plati in XIX. Kal. Septemb. cum annos quatuor & quadraginta confecisset. Oriundus erat Mediolano, & frater Cardinalis Flamini Plati, quem hoc ipso anno MDXCI. Gregorius XIV. sacra ornavit purpura. Pietatem viri & ingenium singulari eruditione conjunctum cognoscere licet ex aureo quem edidit *De bono status religiosi* libro: itemque altero *De Cardinalis dignitate & officio*. Singularem ipse constantiam in religioso statu, parentibus acriter obluantibus, amplectendo præ se tulit. Ad instituendos tirones adhibitus, dum illos ad perfectæ vitæ studium non verbo magis quam exemplo format, pie decessit Romæ, anno ab inita Societate XXIV.

Quæ virtutes in aliis divise cernuntur, humilitas, obedientia, paupertatis religiosæ studium, illæ videbantur in P. Joanne Bapt. Piscatore collectæ. Cibi parcimonia incredibilis; jejuniorum, flagellorum, ciliciorum, vigiliarum, copia liberalis & larga. Sive staret, sive ingrederetur, seu sederet, ita se componebat ad modestiam, nihil ut posset fieri decentius. Vultus nunquam dejectus dolore, aut lætitia gestiens, sed idem semper, & æquabilis. In instituendis tironibus, quo munere diu functus est, paternam gravitatem maternam temperabat indulgentiâ. Omnes in sinu tanquam Christi filios ferre; providere sedulo ne quid vel corporibus vel animis deesset; æqualem se præbere omnibus, ut per suasum quisque haberet se in primis illi carum esse; nullo cuiusquam lapsu ita commoveri, ut immutatam adversus delinquentem animum, aut imminutam de ipso existimationem præ se ferret, multo autem minus emendationis desperationem ostenderet; satis gnarus spem regressus ac pudorem esse optimum officii magistrum, nec certius desperare ullos, quam qui desperari de se vident. Quædam non vulgaris argumenta sanctimoniam, idoneis auctoribus cognita, de illo referuntur; cuiusmodi est conspectum fuisse, dum oraret, extantem à terra; cum angusta res familiaris aliquando esset, datam in manum illi pecunia vim à juvene, qui statim videri deserit: cum desiceret domi panis, iustos ab eo sub horam prandii ministros arcam aperire, quam inanem sciebant: eam referentem pulcherrimis panibus apparuisse. Illud certè constat, intimos animorum recessus ipsi patuisse non semel. Mutius quidem Vitelleseus, Societatis postea Præpositus Generalis, tunc eo magistro tironculus, ita de se narrare consueverat; ægrostanti sibi oblatum per quietem Dei iudicis severum tribunal; exprobratam acriter desidiâ, quod in aperto virtutis stadio tam lentè procederet; ea specie commotum, & sudore frigido manantem evigilasse, nemini tamen indicasse quidquam. Postridie mane occurrisse magistrum novitiorum, & rem totam ordine ipsius enarrasse. Janitori, ejus conclave subeunti ut aliquid renunciaret, sæpe respondebat prius quam verbum ullum janitor fecisset. Prodierant in villam novitiorum, animi paulisper laxandi causa; exciderant uni ex illis voces nonnullæ solutiores, & adolescenti religioso parum decora. P. Piscator, ante quam cum ejus comitibus quidquam locutus fuisset, vocatum ex improvviso graviter objurgavit, ac dimisit è Societate. Alius ex eodem tironum grege, affectus rædio, cum veniam exposceret paternæ domus adeundæ, reversurum se propediem affirmans: *Ibit*, inquit Piscator, *nequaquam tamen redibit: in paterno limine mortuus corruet*. Veram fuisse vocem luctuosa mors adolescentis comprobavit. Alium tam cæcus præcipitem agebat ætus impotentis animi, ut neque suum videret

peti-

periculum, nec vociferantem conscientiam, aut amicos bene monentes audiret. Tunc Piscator ingemiscens, *Voti compos fiet; exibat in malam rem, ait, sed statim atque domo pedem extulerit, nemo unquam resciet quorsum evaserit.* Exivit juvenis, neque postea quid illo factum sit, ubi gentium vixerit, obieritve, cognosci ulla ratione potuit.

Nec presentibus malis medebatur segnius, quam certius eventura prospiciebat. Ignis conclave tirocinii corripuerat: trepidare novitii, aquam properè comportare. Prodit excitatus domestico tumultu, & re comperta, omitti aquam jubet. Ipse ducto, quæ flammæ ruebant violentius, Crucis signo, ita illas compescuit, nihil ut præter fumum ac vestigia veluti veteris incendii remaneret. Eadem Cruce super ægrotos piè descripta, complures è morbo recreavit. Jumentum ignoto malo debilitatum, & ad terram afflictum, adeo ut excitari nullo pacto posset, in pedes erexit; at postmodum certo in loco moriturum affirmavit: horreum propè vacuum secunda precatone sic implevit, ut è suis crescere damnis & augeri videretur. Intentum orationi, & ab adeuntibus evocatum, sæpe inclamabat janitor frustra; surdasque aures, demerso in rerum divinarum contemplationem animo, pulsabat. Assiduè cum Deo, & singulari cum suavitate versabatur: hinc redundabat in vultum pia quadam hilaritas, & in sermonem vis atque efficacia, quæ vel ferocissimos frangebatur, accendebatur vel frigidissimos. Nihilominus inerat in illo divinæ majestatis reverentia incredibilis; & quæ viventem veluti confixerat casto timore, morientem non deseruit. Ea percitus, & in fatali æternitatis limine stans, inhorruit totus, cum diceret obeundum sibi esse vadimonium ad tribunal supremi judicis, cujus alia sunt atque hominum judicia. Ex illo terrore paulum recreatus indulset suavissimis cum Christo Domino colloquiis, & vivendi prius quam amandi finem fecit Neapoli, Nonis Quintilibus.

P. Hieronymus Domenecus, Hispanus, numerari jure potest inter clarissimam Societatis lumina. Primos ejus Patres Lutetiæ cognitos habuerat; Bononiæ etiam Xaverio usus erat familiariter: deinde dum Parmâ in Galliam iter faceret, anno sesquimillesimo undequadragesimo, ad Fabrum & Lainium, Apostolicis laboribus occupatos, ex itinere divertit. Horum hortatu piis commutationibus impendere dies aliquot, & humanis curis cogitationibusque intermissis, uni sibi ac Deo vacare decrevit. Confestim in alium virum mutatus, omisit iter destinatum, & Societati se addixit; eademque arma, quibus victum se fenserat, tractare tam utiliter ac scitè instituit, ut iis, teste S. Ignatio, pauci felicius Domeneco & sollertius uterentur. Idem B. Pater hoc postea de illo prædicare solitus erat: *Magister Hieronymus bene de Societate meritis terra & mari.* Ab eodem Lutetiam missus, ut Sociis illic præfesset; inde Romam vocatus, postremo Joanni Vegæ Proregi Siciliæ datus, per universam insulam Pietatis Montes, quos vocat, constituit, subsidia paupertatis, orbitatis ac pudicitie perurgia. Ægris ibidem, vinctis, & calamitosis necessaria subsidia providit: collegia pleraque aut procreavit, aut creata sanctissimis legibus aluit. E Sicilia in patriam excurrans, collegium Valentium, cujus olim primordia valde ornaverant, confirmavit ac stabilivit. Qua in urbe duos egregios adolescentes, & magnum aliquando Societatis decus futuros, Petrum Perpinianum & Benedictum Pererium, bonorum æternorum ac religiose vitæ amore succendit. Revocatus in Italiam Romano collegio rector est impositus; ac postremò postulantibus Valentinis suis redditus, in orio piè negotioso decessit XIII. Kalendas Januar. ætatis anno LXXVII. Ejus funus primores cleri ac populi magno honore prosecuti sunt, quamvis ipse expetiisset ut cadaver suum in sterquilinum abjiceretur. Beatissimam Virginem singulari colebat studio, egitque cum Claudio Aquaviva ut ejus cultum Societati universæ propriis litteris enixè commendaret; ac P. Franciscum Ariam impulit ut libellum de ipsius imitatione conscriberet.

Cum sapientia, probitate, & modestia, candorem, humanitatem, comitatemque conjunxerat. Ceterarum ejus virtutum gloriam illustrabat misericordia in pauperes & ærumniferos. Fragmenta panis, & vilia quæ perire solent per incuriam scruta colligebat, quæ cum divideret egenti turbæ, eminebat is in vultu

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

F f f f

tu

§. VI.  
P. HIERONYMUS  
DOMENECCUS.

A.C. 1592.  
Soc. 53.

10.  
Liberalis &  
dives caritas.

tu ardor, ut ea donari Christo sentires. Annorū difficultas nescio quem modum dispensatorem impulerat ut solito angustiore modum tritico pauperibus erogando præscriberet. Obstitit summa ope Domeneccus, & ut ad priorem frumenti numerum nonnihil adjiceretur pervicit: non modo non defuit postea domus panis, verum etiam abundavit. Mendico subuculam petenti, sarcinatore largiri vel detritam cunctante, dedit suam; postmodum matrona nobilis duodecim illi subuculas recentes ignara facti misit. Non contentus pauperes sublevare, studium imitari; ac sæpe stipem ostiatim emendicabat, corrogatisque cibariis libentissimè vescabatur. Moriens illas iterabat sapius voces, Fiat voluntas Dei in tempore & in æternitate. Per annos quinquaginta & plures, quos in Societate vixit, nunquam animi candorem violavit graviore culpa: id ipse sacerdoti supplicem ejus confessionem audienti candidè significavit. Magnum religionis vite beneficium!

## §. VII.

MICHAEL HERRERA.

A. C. 1593.  
Soc. 54.

\* Anno 1570.

## II.

Sacerdotii honorem studio humilitatis fugit.

TARDIUS ad vineam Dominicam accesserat Michael Herrera, Hispanus, sed tarditatem studio & labore compensavit. A Carolo V. cui propter generis claritatem, prudentiam, usum rerum, carus in primis erat; missus in Angliam ad Mariam reginam, tum ad Solimanum Turcarum imperatorem, eas Legationes pulcherrimè obierat, donec orto Carolum inter ac Turcas bello, ab iis captus & in vinculis diu habitus, rerum humanarum inconstantiam vanitatemque cognovit. Quare summi & æterni regis aulam sequi constituit in Societate, cum annos jam fermè sexaginta esset natus\*. A Sancto Francisco Borgia monitus ut se compararet ad sacros Ordines suscipiendos, hunc honorem quo se indignum dicebat, planè deprecatus, adscribi voluit fratribus rei domesticæ adiutoribus, inter quos consenuit Romæ, infima quæque ministeria exercens eadem, ac multo etiam majori sedulitate atque alacritate, quâ gesserat olim summa; vel potius nihil existimans infimum & abjectum, quo præstari obsequium Deo præpotenti posset.

## §. VIII.

P. ALFONSUS SANCHES.

\* Num. 41, 48.  
50, 51.

ÆMULATUS hanc animi Christiani & religiosi demissionem est P. Alfonso Sanchez, Toletanus, à nobis Libro XI. laudatus\*; qui rectoris officio egregiè Navalcarneri perfunctus, Grammaticæ tradendæ munus expetiit, in eoque sic versatus est Caravacæ, ut si totam in illo consumpturus ætatem fuisset. Novas in dies corporis divexandi rationes comminiscabatur, atque ita se, quamvis tum id nesciret, comparabat ad incommoda graviora, & ærumnas in alio perferendas Orbe. Transgressus enim anno MDLXXIX. in Americam, scholis Mexicani collegii & studiis præfuit. Mox Angelopolitano Seminario præpositus; inde in Philippinas cum primo illarum Episcopo Salazario & P. Antonio Sedenio navigavit, iisque insulis Societatem invexit anno MDLXXXI. Brevi tantam pietatis ac prudentiæ collegit famam, ut Episcopus eum in synodo Manilana sententiam dicere, concilii ejusdem decreta ordinare ac promulgare jufferit: ut illum Ronquilius, Philippinarum gubernator, ad Sinas publici negotii gravioris obeundi causâ bis miserit, ubi cum P. Michaeli Rogerio de Sinicis rebus, & religionis promovendæ modis consilia diu multumque contulit. In Philippinas regressus anno MDLXXXV. ab antistite ac regis illarum insularum præfectis allegatus est ad Regem Catholicum & Summum Pontificem, ut eos de publica re & Christiana (utramque enim notissimam habebat) certiores faceret: quod cumulatè Madriti & Romæ præstitit. Quam præclarè de viri sapientia & probitate existimaret Aquaviva satis declaravit, cum illi non solum difficillima negotia, cum Philippo Rege & sacris Quæstoribus tractanda; sed etiam domesticam Societatis disciplinam componendam in Hispania commisit.

## 12.

Futuri provisorii integritas vitæ &amp; austeritas.

Dum id exequeretur impigrè, indicta est Congregatio Generalis quinta, ipse à Provincia Toletana delectus inter Patres ad eam profecturos, affirmavit se non iturum: sed Antonium de Mendoza, qui ejus in locum, si quid illi accideret, sublectus pro more fuerat. Videtur Alfonso hoc divinitus cognovisse. Nam paucis post diebus gravi lateris dolore correptus obiit Compluti VI. Kal. Junii. Cum sacerdos illum de Sanctissimo Viatico & extrema Unctione festinus, ut erat morbi vis, admoneret; Non est, inquit, cur festinemus. Scito, mi Pater (quod nemini

nemini tamen dixeris) me die tantum crastinam moriturum: suppetet virum factis ut sanctissimum Christi corpus sumam jejunos, & oleo sacro per otium inungar, Ita prorsus contigit. Moriturus hanc postremam vocem misit; sibi, quidquid egisset dixissetve, unum hoc fuisse propositum ut obsequeretur ac placeret Deo; cui gratias deinde ingentes egit, quod in Catholica fide, quod in Societate Jesu, diem ultimum clauderet. Admissus in hanc fuerat anno sesquimillesimo sexagesimo quinto, ætatis vigesimo. Lectus illi erat vulgò stercora humi abjecta, somnus brevissimus, quotidiana corporis castigatio, cibus per diem tantum semel, contemplatio complurium horarum & sacrificium, in quo cœlestes delicias degustabat. Omissis parumper negotiis omnibus sæpe velut receptui canebar, ac sacram in solitudinem se abdebat. Ejus erga Deiparam studium singulare visa est ipsa Virgo comprobasse Laureti: ut Historiæ Lauretanæ scriptor \* fufius edisserit.

JISDEM ferè negotiorum quasi fluctibus jactata, licet intra Europam duntaxat, Michaelis Turriani, qui eodem decessit anno, vita fuit. Complutensis academia, sive, ut appellant, Universitatis rector, ante quam se ad nos applicaret, ab eadem Romam allegatus fuerat, ut ejus quædam propugnaret jura, contra Toletanum Archiepiscopum. Romæ cum degeret, occursum aspectumque nostrorum hominum ita refugiebat, ut ne sustineret quidem in sermone mentionem de illis fieri, malevolorum obtreccionibus circumventus. Itaque vix Joannes de Vega, Orator Catholici Regis ab eo exoravit ut ipsum P. Salmeron obiter, noctu, secretis in ædibus, conveniret. Petiit Salmeron, ut idem beneficium Ignatio conferre ne gravaretur. Egone, inquit Turrianus, ut illum alloquar? At noctu, subdit Salmeron, extra urbem, etiam mutata, si lubet, veste, ne te agnoscat: tandiuque institit precando, ut istis conditionibus evinceret. Venit in conditum pomerii locum Turrianus, oratione meditata contra Ignatium, tantquam certissimum præfignatorem, permunitus. Quem ubi conspexit Ignatius, & comiter, ut solebat, salutavit: ille percussus aspectu viri, ejus comitate, atque adeo *Spiritu qui loquebatur* victus, ruit in complexum, & Desine, inquit, plura; tuus sum: quid me jubes facere? Ignatius hominem piis meditationibus exercet, ac rogamem instantemque ut ad Societatem aggregaretur, quadrienno toto distulit, donec Universitatis Complutensis negotium, cujus causâ Romam venerat, dijudicaretur. Eo confecto repetere jubetur Hispaniam, ubi haud ita multo post accipit ab Ignatio litteras, è quibus intelligebat, admitti se in Societatem; iret confestim Salmanticam, & Sociis eò, collegii instituendi causâ pergentibus rector præfesset.

Nihil cunctatus abdicat quam gesserat hætenus, præfecturam Complutensis academiae, & opima duo beneficia Ecclesiastica; contendit Salmanticam, ex omni seculi apparatu nihil secum auferens, præter virtutem, & ingens desiderium vitæ perfectæ, ac salutis animarum, in quam continuo cœpit incumbere. Nec defuit generoso tironi materia probationis, in concitata per Melchiorem Canum adversus Ordinem nostrum procella, ut anno MDXLVIII. est dictum\*, quam modestia singulari patientiaque sustinuit. Nec nihil habuit postea negotii cum Joanne Siliceo, Archiepiscopo Toletano, ut eum Societati placaret\*. Lusitaniam provinciam aliquot post annis cum administraret, expetitus est à Catharina regina, ut ipsi à sacris esset confessionibus, Quo in munere pariter aulae ac Societati satisfecit. Post obitum reginæ Madritense gubernavit collegium\*: ac demum, ingravescente senio, Toleti ætatem reliquam privatus egit.

Dotes duas, quarum nexus rarior, sociaverat, insignem prudentiam & simplicitatem. Alios è suo existimans ingenio, de nemine pejorem in partem judicabat, loquebaturve. De aliena vero fama detrahentes ne audiret, vel subducebat se colloquio, vel obmutescere maledicos cogebat. Jam, ita se gerebat in obeundis negotiis, ut esset in suscipiendis cautus, diligens in promovendis, in tractandis consideratus & circumspectus. Huic prudentiæ & candori virtutes ceteras, quæ religiosum virum decent, addiderat. Cum tantâ valeret apud Lusitaniam reginam gratiâ, nunquam induci potuit ut aliquid beneficii propinquis suis

\*Hoyat. Turcellinus Lib. V. c. 24.

S. IX.  
P. MICHAEL  
TURRIANUS.

13.  
Quomodo vocatum ad Societatem: quid de illa ejusque prædibus sentiret.

\*Nu. 42. & seq.

\*Part. I. Lib. X. & XI.

\*Anno 1578.

ab ea flagitaret; imò ne illos quidem Olisipponem venire passus est. In susceptis Romam itineribus, ad oppidum natale Alagonium, quod in Caesaraugustana diœcesi situm est, nunquam desexit, tamen non abesset procul. Munera, quæ reginæ pietas aut benevolentia obrudebat invito, constantissimè rejectit. Lulianiam, in qua tot annis tanta in luce versatus erat, sic deseruit ut regionem ignotam; cumque id agere amicos intellexisset ut in eam remitteretur jam senex, rogavit ut absterent. Nunquam tristis, aut iratus; nunquam gestiens & hilarior justo visus est. Illud ad extremum usque senium retinuit, ut singulis diebus surgeret de mediâ nocte, ac horam integram impertiret precationi, quam castigatio corporis excipiebat. Testatus est nullum se, per quadraginta & plures annos, sensum teneræ pietatis orando degustasse, Mensem totum qui Christi natalem diem antecedit; illos item dies qui Deiparæ festis præeunt, & sextam hebdomadæ cujusque feriam jejuniis exigebat. Si quid immineret Societati cladis aut periculi, ad consuetam quotidianæ orationis horam addebat unam alteramve. Societatem enim amabat unicè; nec tantum ejus instituta faciebat plurimi, sed venerabatur; nihil dubitans quin Ignatio dictata divinitus fuissent; & hoc ipso anno MDXCIII. quem supremum vitæ, & octogesimum quintum ætatis habuit, ad Præpositum Generalem ita scribit de negotio quodam momenti majoris, in Congregatione tractando: *Id Societatis rationibus consentaneum sit, necne, statuendum est è judicio & sententia N. B. P. Ignatii; cui Deus contulit spiritum & gratiam Instituti; non autem ex opinionibus aliorum, quibus ea collata non sunt.* Habebat idem certa quotidianarum actionum, ac definita, tempora; quæ, nisi gravissima suaderet causa, non mutabat. Paupertatis religiosæ servantissimus vestes detritas recentibus & integris præferebat; non sacrarum reliquiarum ornatiorem thecâ, non pictam elegantius imaginem, aut libros lautius compactos vel accipiebat ab aliis, vel servabat sibi. Eum S. Ignatius *pupillam oculi sui* vocitabat: ejusdem nomen Sanctus Franciscus Borgia *in libro vitæ scriptum* vidisse fertur, ipsumque de æterna prædestinatione certiore fecisse.

Prætereundum illud non videtur, quòd cum parotide laboraret, ac lapsus humor in guttur, cibi & vocis meatum intercluderet, quo die migravit è vita, confiterit humoris fluxus, ac liberis apertisque faucibus tandiu reliquerit, dum sacro Viatico reficeretur; quo piè & religiosè sumpto, iterum ocluso gutture est oppressus, nono Kal. Novembr. Libet tanti viri judicium de nostrarum domorum rectoribus deligendis attexere. Primo loco censebat eos provinciis collegiisque præficiendos, qui virtute primùm, deinde etiam facultate quadam rerum agendarum & sollertiâ valerent. In secundo gradu illos collocabat qui verè humiles, ac sui planè compotes essent; quamvis alioqui simplices, & ad negotiâ minus idonei: aiebat enim ejusmodi homines verâ præditos virtutis, sanum ad res gerendas consilium quæsituros, & inventum faciliè secuturos; interim domesticis exemplo utiles, externis probitate venerandos, fore. Alios vero sui ipsorum amatores, & germanâ humilitate destitutos, qui sibi placerent, qui placere ceteris, & in honore ac pretio esse cuperent, licet in rebus gerendis acres ac strenuos, pietatis etiam interioris peritos, vix ad gubernacula religiosæ familiæ admovendos putabat.

S. X.  
P. MARTINUS A  
S. DOMINICO.

QUAM aulicos inter, & in munerum amplissimorum splendore virtutem coluit Turrianus, eandem in Missionum pulvere Pater Martinus à Sancto Dominico, Hispanus, exercuit. Statim illum ex umbra nondum absoluti tirocinii, quod anno MDLXX. annis quinque ac triginta major inchoaverat, in istam produxit palæstram æstimator hominum prudentissimus Balthasar Alvarez: cumque in pagis circa Montem-Regium positis specimen ingens accepti divinitus ad genus hoc vitæ laboriosæ talenti præbuisset, subinde Compostellam, in Gallæcia, qui tractus præsertim indigere culturâ dicebatur, commigrans, ibi ad extremum usque spiritum, annis admodum tredecim, desudavit. Operæpretium est cognoscere quemadmodum Evangelicas id genus expeditiones obiret. Ad singulas (erant autem singulæ duorum fere mensium) comparabat se multâ & attentâ precatione, jejuniis, vigiliis, corporis afflictatione; secedens eam ob rem ab hominum

hominum commercio in solum aliquem locum, & vires ad instantem laborem colligens. Addere suis curabat aliorum preces, quas iligenter exposcebat, factis gnarus, in salutis negotio plus precatione, quàm actione, profici. Præcipuè deligebat instituendos agrestiores ac rudiores, imò commodis humanis maximè orbatos, affirmans, ubi mortalia commoda maligniùs affluerent, ibi divinam fementem votis colentium benigniùs respondere. Diversorium eligebat vicinum templo, & feminis omnino clausum.

Conciones auspicabatur ab his Apostoli Pauli verbis *Legatione pro Christo fungimur, reconciliamini Deo* \*. Deinde auditores divinæ justitiæ metu concussos, ac spe veniæ illectos, ad aperienda sacerdotibus animorum vulnera incitabat. Sub vesperam, mulieribus recipere se domum jussis, aures viris confidentibus dabat in multam noctem. Dies sæpe totos impastus noctesque vigil perstabat, cibi somnique immemor, valetudine nihilominus commodà & vegetà. Simul atque respirabat à labore, horam integram in recitandà Virginis corona collocabat: quod facere quotidie, sive domi esset, sive peregrè, nunquam omisit. Addebat severum sabbatho quolibet jejunium; cumque dies Virgini Matri facer illuxisset, tantis incedebar latitiis, ut filium faciliè agnosceres: neque dissimulabat se novo quopiam beneficio ab amantissima parente his diebus affici.

Divinum sacrificium quam maximo celebrari volebat apparatu, præsertim ubi populus ad angelicum panem è cœlesti mensa sumendum accederet. Eam ob causam jubebat ædem sacram aulæis, & pictis tabulis ornari; sterna floribus aut herbis odoratis pavimentum; altaria facibus collucere; incendi variis in locis thura; æra Campana tinnitu festo percrepare: pietatis denique ac venerationis adversus res divinas sensum non tantum in mentibus, sed in ipsis prope auribus oculisque desigi. Habebat enim persuasum, idque crebris usurpabat sermonibus, idcirco grassari scelera per populum impunè, animosque Christianorum humi depressos, inanisque cœlestium jacere, quòd fontem lucis & gratiæ, sacrosanctam Eucharistiam, adirent parè, oscitanter, exiguo vel nullo sensu pietatis: acueudam igitur sanctis affectibus & desideris hujus divini nectaris sitim, quod nisi avidis mentibus hauriatur, partem sui saporis vel maximam deperdit. Hos affectus ut excitaret, locum superiorem conscendebat, dum dividebatur populo cœlestis cibus, & præibat voces quibus gratias hospiti Deo quisque ageret, quibus veniam scelerum peteret, meliora sponderet, imploraret opem, totum se illi devoveret. Interim pio planctu, lacrymis, precibusque templum omne personabat. Quæ verò ipse pronunciaverat, eadem in tabulis descripta proponebat in loco templi maximè conspicuo, ut legi ac memoriæ mandari possent.

Multus etiam erat in cultu Deiparæ inculcando, cujus patrocinium ad pudicitiam nominatim in populo conservandam mirum quantum valere expertus cognoverat. Itaque rosariorum immensam vim spargebat in vulgus, cupere se dictitans ut orbis terrarum rosariis confitus, ubique suavissimum castimoniam odorem spiraret: simul modum coronæ Virgineæ utiliter ac sanctè recitandæ alium atque alium, vitando fastidio, accuratè tradens, rudes animos ad meditandam Christi vitam, necemque, instituebat. Peractâ Missione, parochos piis exercitationibus attentius excolendos in vicinum, sicubi facultas erat, collegium deducebat, operam in iis longè utilissimam poni dictitans. Ipse domum reversus, quietis & avocamenti loco, aderat vincis in carcere, ægris in nosocomio, morientibus in urbe: conciliabat dissidentes, periclitantibus ob egestatem feminis conquirebat præsidia, dotem procurabat. Frequens cum pauperibus & infimæ fortis hominibus versabatur, illis se accommodatum, & quasi natum, dicere solitus; nihilque ferens ægrius, quàm si sentiret aliquo se in pretio esse; id vero summâ contendens ope ut haberetur talis omnium judicio, qualis erat suo, nempe mortalium vilissimus, ac miserimus. Nihil eum suavius afficiebat, quàm invicta Dei, hominum scelera tolerantis, & omnes ad pœnitentiam ac salutem invitantis, eosdem cunctantes expectantis, revertentes accipientis amantissimè, patientia, facilitas, bonitas.

14.

Ratio & modus  
obeundarum  
Missionum.

\* I. Ad Cor. 5.

S. XI.  
PP. DIDACUS  
STUNICA, &  
JOANNES MON-  
TOYA.

15.  
Tria tironum  
studia.

TANTUM virum doluit Hispania creptum sibi, cum esset ætate adhuc ferendis laboribus idonea: sibi pariter annis adhuc florentibus ademptum Didacum Stunicam Perua doluit: septem enim ac triginta vixdum impleverat, sed virutum plenos & meritum. Post abdicatas cum hereditate lauta (Majoratum Hispani vocant) nobilitatis avitæ spes, receptus in Societatem Salmanticæ, Indias votis omnibus concupivit. In Peruam secundâ navigatione delatus, cum in Americanis mancipiis insituendis, uti optaverat, latèret, translatus est subito ad Limanum tirocinium regendum, ob eximiam sanctimoniam pari conjunctam prudentiâ. Tria præcipuè tironibus commendabat: orandi ac Deo familiariter utendi consuetudinem; contemptum sui; & mentem omni rerum infimarum sollicitudine ac desiderio prorsus expeditam. Etsi publicè verba faceret magna cum dignitate, non poterat adduci tamen ut ad frequentem in majoribus templis populum diceret, lucis laudisque fugitans. Procurator, ad conquiendum Christi cohortibus supplementum, in Europam missus, inde copiosam strenuæ juventutis retulit manum. Dum infestum prædonibus mare percurreret, incidit in Anglorum classem: portenti simile visum est, quòd oborta repente nebula, navim quâ vehebatur, oculis hostium subduxerit. Neque hoc prodigii quidpiam non habet quod ægotanti contigit. Jacebat omni ciborum sensu gustuque captus. Jubente medico ut ediceret sine circuitione ecquid obsonii palato aridèret; ille, ut erat obsequentiissimus, candidè ferinam nescio quam appellavit. Sed hujus ne notum quidem illic nomen erat. Quaritur nihilominus, ut ægrotò fatisciat. Prodeunti famulo puer ignotus in limine occurrit cum illo ipso terculo: idque ipsum aliàs eidem accidisse narrat. Sic servos suos Deus ac filios usque ad delicias, ut ait ille, amat. Extinctus est Guamanga III. Id. April. Exequiæ per octo dies à Clero & Ordinibus religiosis celebratæ: mortui laudes Dominicanæ præses familiæ luculenta oratione profecutus est.

Hoc, an sequenti anno MDXCIV. laboriosam vitam tranquillâ commutaverit Pater Joannes Montoya compertum non est: id constat unum, neque anno MDXC. ut alicubi legitur, neque octoginta natum annos obiisse; siquidem exstant litteræ ab eo scriptæ annis MDXCI. ac MDXCII. & in indice anni MDLXXXIII. septem & quinquaginta duntaxat annos artigisse scribitur. Sub Lainio collegium Nolanum rexerat primus; sub S. Francisco Borgia Siciliam Visitator, postea Provincialis, administraverat. Cum Christiana classe, jussu Pontificis Pii V. profectus in Epirum præclaræ victoriæ, ad Naupactum de communi hoste Christianorum relatæ, spectator non otiosus fuerat. Demum theologiam Romæ cum doceret, impetravit ab Everardo Mercuriano ut navigaret in Americam, cœlestis doctrinæ rudimenta barbaris traditurus. Primus labor, nec levis homini jam ætate provecto fuit in duplici lingua, quæ latius apud Peruanos patet, cognoscenda. Ita instructus, cœpit Evangelicam lucem per ignotas gentes circumferre; gravibus, quas expetebat à se, pœnis divinam obtestari misericordiam non cessans ut earum tenebras dispelleret.

16.  
Operarii strenui  
vera vox.

Viâ, fame, ærumnis debilitatus cum rogaretur ut paululum interquiesceret, Ab! inquit, in Dei & Indorum obsequio nunquam dicendum est sufficit. Guamangæ, ingravescente morbo, subsistere coactus, repudiatis lautorum, qui certatim invitabant, ædibus & lectis, in valetudinario publico per annum cubuit, in promiscua pauperum ægotantium turba, non sine urbis totius admiratione. Ubi primum convaluit, ad pristinas rediit excursions: sed cum Potosio transiret, recrudere morbi, atque in primis pedum crurumque tumor, ex itinerum per loca palustria confectorum incommodis. Cum vitiatæ carnis frustra grandia chirurgus abscinderet, miratus est ea post dies etiam plurimos non olere graviter. Id egregiæ illius pudicitæ assignatum. In eadem urbe Potosio decessit exeunte Decembri.

S. XII.  
P. PETRUS SPIGA.

A. C. 1594.  
Soc. 55.

P. Petrus Spiga, Calaritanus, in Societatem anno MDLI. primus è Sardinia venit. Cum in eam admitti postularet, Patres Belgæ, apud quos litteris operam Lovanii dabat, deterriti ejus exiguâ præter modum staturâ, mensuram hominuncionis miserunt ad S. Ignatium; qui homines animo potius, quam corpore metiri

metiri solitus, postquam habitare magnam in corpore non magno mentem re-  
 scivit, admittendum esse scripsit. Statim sacerdotio initiatus (jam enim aliquan-  
 tum ætate procefferat) Hispanos, è quibus magnam partem constabat Cesareus  
 Caroli V. exercitus in Belgio, sic juvare, sic devincire sibi sanctitatis opinione  
 non facta cœpit, ut ei Arborenses in Sardinia Archiepiscopatum deferrent. Sed  
 hunc animus ingens, & honoribus humanis altior, repudiavit. Redire in patriam  
 coactus valetudinis causa, in ea totos triginta deinceps annos vixit, victo-  
 rum patronus, solamen ægrotantium, pauperum pater, præ quibus negligere  
 divites videbatur; licet à proceribus, vel expiandæ conscientiæ, vel exquirendi  
 consilii causa, certatim expeteretur. Accidit aliquando ut in area collegii Ca-  
 laritani turbam egentium consentem audiret saxo insidens. Adfuit Prorex in-  
 sulæ Alvarus de Madrigal, qui cum conscientiæ arbitrum habebat, & rogavit  
 ut sibi consenti aures daret. Cui Pater ut accederet submitteretque genua si-  
 gnificavit, ac audire illum porro de saxo illo suo perrexit: mirante aulicorum,  
 qui frequentes aderant, comitatu hinc jubentis auctoritatem ac simplicitatem  
 Christianam, inde obtemperantis modestiam ac pietatem. Idem institutum in  
 templo tenebat; neque matronas nobiles, quæ sacrum confessionis tribunal ob-  
 sidebant, pannosis ac pauperculis præire mulierculis patiebatur; tanto utrisque  
 carior & venerabilior. Ægrotum tremulis genibus agrè insistentem, & ad se  
 prorepentem, in æde sacra conspiciatus, cum operam consententibus daret, assur-  
 gens occurrit, & hominem complexus, in suo tribunali collocavit: ipse genibus  
 nixus, ibi, ubi cratibus interpositis sacerdotem alloqui mos est, confessionem  
 sedentis excepit.

Quo rariùs potentium terebat limina, eo majore illorum benevolentia &  
 frequentia celebrabatur: vixque credibile est quantam ab iisdem pecuniæ vim  
 ultrò datam, ad levandam egentium inopiam, & pia id genus opera, collegerit.  
 Neque vero æs alienum, quamlibet grande, ob eam rem contrahere dubitabat,  
 liberalitate Numinis ac providentia fretus. Hæc, orante Spiga, vacuum pani-  
 bus canistrum bis replevit; hæc numerum exiguum frumenti sic amplificavit, ut  
 multis diu sufficeret; hæc nummos, unde minime sperabantur, in tempore sub-  
 misit; eadem, ut nihil cuiquam neganti, omnia omnibus affatim largienti nihil  
 deesset, efficiebat. Morbos oratione sola, cui deditissimus erat, depulisse; peste  
 contactos, levi quodam ac pervagato medicamento, omnes ad unum perfanasse;  
 multa prænucciasse quæ post evenerint, perhibetur. Certè, Sardiniam è Bel-  
 gio petenti, quod iter omne pedibus, & corrogato victu peregit, duo se in  
 Italiæ portu navigia obtulerant; alterum vetustate detritum, recens alterum  
 & rebus omnibus instructissimum. Pater positus in littore genibus oravit brevi-  
 ter, & vetustam navim latus conscendit, quæ portum feliciter tenuit; alterà  
 fluctibus jactatà, & demersâ. Cum aliquando per diurnas occupationes quos-  
 dam facinorosos in carcerem abreptos invisere, ut promiserat, nequivisset; no-  
 cte concubia in ergastulum ferreis vectibus & seris probe munitum penetravit.  
 Custos, audito strepitu, evigilans Spigam intus deprehendit; seras tamen inco-  
 lumes, intacta repagula comperit. Miraculo attonitus verbum proloqui tum qui-  
 dem nullum potuit: sed post obitum Patris, cum de illius rebus gestis institue-  
 retur quæstio, rem omnem juratus confirmavit. Ad ægrotos juvandos quoties  
 accedebat, primùm omnium impensè Deum orabat: deinde ad fiduciam erectis  
 Evangelium prælegebat; quo recitato, multis sanitas confestim restituebatur,  
 Ejus virtutum fama permotus vir nobilis Alexius Fontana Societatem heredem  
 ex asse, ad fundandum Saffari collegium, testamento reliquit. Est ea urbs in  
 ora septentrionali Sardinia, inter insulæ præcipuas. Huc advolavit P. Spiga, ut  
 Socios ad fundamenta collegii jacienda missos exciperet; ac more suo ad noso-  
 comium divertit; hæc illi vulgo domus erat: inde ad lustrandos carceres, con-  
 quirenda egenis subsidia, restringendas dissidentium inimicitias procurrebat. Re-  
 bus collegii constitutis, clericos præcipuè visendos, & ad pietatem cohortandos  
 suscepit. Illos ad operam Christo in pauperibus navandam sic accendit, nemo  
 ut ipsorum in nosocomio non adesset frequens; imo inter se ita partirentur heb-  
 domadam,

17.  
 Pauperum &  
 paupertatis  
 amor. Honorum  
 contemptus &  
 sui.

\* Anno 1564.

domadam, ut dum alii hærebant affixi agrorum cubilibus, alii ad colligendam stipem oppidam pererrarent. Omiffa paulisper civitate, in villas circumiectas evafit; & fitientibus pagis rorem divini verbi afperfit. Brevi Calarim, Proregis & civium rogatu, fe retulit, laboresque priſtinos repetiit: quorum ut fructus maneret, collegium Societati civitas dedit\*. Piorum, quæ ſplendoris aliquid haberent, operum partitione inter Socios facta, ipſe pauperum & victorum curam ſibi ſepofuit. Aedificari juſſit in carcere facellum, in quo res divina fierent; ac ratum ſacerdoti facturo ſtipendium procuravit. Cubiculum etiam adornavit in ſublubriori parte ergaſtuli, & lectulis mollioribus inſtruxit, in quod victi agrotantes deportarentur. Ne ſani marcèrent otio, ſuppeditabat ipſis operis aliquid, quo tempus utiliter ducerent: ac ferme juncos & vimina comportabat, texendis corbibus, aut ſtreis, quarum pretium iſdem pernumcrabat. Quanto quique facinoroſior & perditior videbatur, tanto illum complectebatur amantius: ocella figebat vinculis, ea ſuis peccatis æquius multo deberi dicentis; pallio ſuo, dum peccata confiterentur, involvebat; leniter palpans, & frontem ac nares olidas ſudario abſtergens. Interdum illorum veſtes, illuvie & malis pedibus obſitas, perpurgabat: qua peſte onuſtus ipſe, tanquam gemmis, domum ſe referebat alacer. Ad latebroſos interioris cuſtodie ſpecus descendens, illic in fetore ſordibusque volutabatur: ſæpe jacentibus in putrido ſtramine, ut eos conſolaretur & ad pœnitentiam provocaret, accubabat: qua caritate permoti rapiabantur in admirationem divina bonitatis, nec lacrymas tenebant.

Non tantum in aliis, ſed in ſe quoque ipſo, paupertatem diligebat. Anguſto in contlavi, tanquam in carcere conſtrictus habitabat, in quo Prorex & Archiepiſcopus, extremo languentem morbo inviſentes, ſtare ambo vel ſedere non potuerint: pro lectulo nuda humus, aut tabula corpufculo etiam brevior; ſtipes pro cervicali; ſupellex, præter menſulam & ſedile, nulla; quod ſpatium cum patebat in cubiculo, id ciborum fruſtis, veſtibus, ſcrutis, medicamentis, cupediis, in famelicos, nudos, agros diſtribuendis reſertum erat. Earum rerum ingentes apothecas in ergaſtulis & civium domibus habebat. Veſtes gerebat deterrimas, & longo uſu attritas; niſi cum induſia pauperibus eroganda, è rudi & craſſo contexta ſilo acciperet: tunc enim recentia, & hirsuta inducibat primus, ac miſcere induendo paulatim cobeat. Cibus vilis, etiam cum agrotaret; ſæpe aſperſo cinere corruptus; vulgo è cenæ reliquiis raptim collectus. Nulla in agro ut plurimum, & imbecillo corpore pars erat non flagellis ſciſſa, aut uſta ciliis, aut jejuniis exſucca. Verborum parcimonia, in piarum occupationum tumultu quotidiano, mira: oculorum vero cuſtodia tam acris, ut fororis filias, virgines pietati addictas, quibus aurem conſcientiæ labes detergentibus præbebat, neque facie diſtingueret, neque nomine. Vulgo ſe peccatorem & appellabat, & ſubſcribebat epiftolis; tanto contemptu ſui, ut Societate Jeſu, atque illo, quem inter ſolennia tria profeſſos vota obtinebat apud nos, gradu indignum ſe judicaret. Quo mirari minus licet rejectas ab ipſo conſtantiffimè Calaritanas infulas, ad quas civium precibus & voris publicis enixè vocabatur. Tanto ſublevandæ inopum calamitatis deſiderio flagrabat, ut ab eorum aliquo accitus aliquando foras, cum barba ſemiraſa provolarit. Ceterum ei caritas ejuſmodi vita ſtetit. Cum enim prodiſſet multa jam nocte, ad excipientem pauperis adoleſcentis confeſſionem, tempeſtate perfrigida, recepit ſe domum eneſtus frigore; ac paulo poſt, quemadmodum prædixerat, interiit VI. Idus Decembris: quæ lux, propter Deiparæ conceptum omnis expertem macula, facta illi præ ceteris ſemper fuerat. Annos conſecerat LXVII. quippe ortus Calari anno ſeculi ſeptimo & viceſimo, ut è certioribus monumentis conſtat. Ejuſ exequias concurſu & laudibus cives primarii; captivi egenique lacrymis; noſtri miſta ſtetibus lætitia celebrarunt.

## §. XIII.

PP. FRANCISCUS  
BENCIUS, & VIN-  
CENTIUS BRU-  
NUS.

P. Franciſci Bencii memoria vige adhuc apud eruditos, in quibus illuſtre nomen habuit; quippe Græcis litteris ac Latinis excultiſſimus: ut oſtendunt ejus lucubrationes, tum ſolutâ numeris oratione, tum victâ conſcripta. Rhetoricam in urbe Senenſi primum & Peruſina; deinde per annos plures in collegio Romano

mano docuit; nihil aliud, uti moriens ipse professus est, spectans quam divinam gloriam, & Christianæ juventutis institutionem. Ac votis respondit eventus; insigniter enim gloriam Dei, & adolescentum quos instituebat, pietatem, eruditionemque promovit; tanto plus, etiam apud homines, adeptus famæ, quanto illam sectabatur minus. Nam doctissimorum virorum amicitia & consuetudine floruit, quos inter Cardinalis Baronius, præter nomen *viri eximie pii, & insigniter eruditi*, propriam hanc laudem illi tribuit, quod *Musas reddiderit Christianas* \*. Ad Societatem anno MDLXX. ipse septimum agens & vicefirmum accessit; seu potius à Deo miris vocante & instante modis, perductus est. Oriundus erat Aquila, five Aquis Taurinis, vulgo *Acquapendente*, Hetruriæ oppido. Inde Romam profectus adhuc adolescens, & ingenio ac doctrina præcellens, nonnullorum etiam in Romana curia præsulum gratia fretus, secundo cursu ad honores ferebatur non invitatus, Deumque ad institutum religiosum vocantem parum audiebat. Objecta per noctem specie Angelorum hinc bonorum coronas ostentantium, inde malorum fumosas ignei barathri fauces insidentium; demum ipse Christi è Cruce pendentis, & ad se invitantis, imagine percussus, nondum tamen victus, fluctuabat; vitæ religiosæ asperitatem, quam fingebat animo; præclusum in Societate honoribus aditum, scholæ puerilis humilitatem ac tenebras reformidans. Regredi coactus in patriam, ob matris morbum, mortuam reperit: quo casu iterum admonitus, nihilo tamen secius obsurdesebat. Romam repertens, equo prolabente dejectus humi, vix a sociis accurrentibus relevatur, pede saxi graviter illiso; quem contractum ratus, sanum & illæsum retraxit. Statim subiit mentem cogitatio, pœnam hanc à Deo ulciscente; sanitatem ab amante, inamissam. Pergit nihilominus, & molestam cogitationem studet abigere, donec plana in via, equo rursus afflicto, excussus ruit. Ad cadentis clamorem excitati comites semianimem, pede obruto, attollunt, & inter manus ad vicinum hospitium deportant: ubi tanquam alter Saulus, intelligens quam periculosum esset oblucri Deo, & *contra stimulum calcitrare* \*, in has cum eodem Saulo voces erupit *Domine, quid me vis facere?* neque ullam deinde moram interposuit quin Deo se totum ac Societati permitteret \*: in qua vitam integerrimam vixit, amantissimus laboris, obedientiæ ac disciplinæ religiosæ servantissimus; nullum intermittens diem quin immortales Numini gratias ageret, a quo in Societatem tam suaviter ac fortiter vocatus fuisset. Imitatores habuit summa cum voluptate, fratres germanos tres, Andream, Hieronymum, & Lucium; qui eandem Christi militiam secuti, non degeneres indignosque se inclyto fratre præbuerunt. Adde vocem egregiam Francisci Bencii, qui longo scilicet instituendæ juventutis usu doctus, aiebat non alia re magis conciliari religioso magistro discipulorum voluntates, quam si daret operam, non solum ut sui discipuli proficerent, sed se proficere sentirent.

Hoc itidem anno MDXCIV. Idibus Augusti cessit è vita, in eodem collegio Romano P. Vincentius Brunus. Ætatem ibi fere omnem exegerat, bis rector, aliàs rectoris administrator, & domesticæ disciplinæ custos. Quo in utroque munere comitas ejus in accipiendis quicumque ad ipsum, quamlibet alieno tempore adirent, in audiendis patienter, in sublevandis & adjutandis, præsertim ægrotis; in perferendis æquitate summa ingenii quorundam inæqualibus & asperis, epuit. Natus Arimini anno MDXXXII. & Sociis annumeratus MDLVIII. præfco Societatis mores, quos à primis hauserat Patribus, servabat diligentissimè; & in libello, ut ad posteros manarent, conscripserat. Eisdem altius habebat in mente insculptos. Candor sermonis animique, oris modestia, æqualis erga omnes & minimè fucata benignitas, illum nostris juxta & externis carum effecerant: ac jure dubitabatur quam, præter ceteras, virtute præstaret, cum excelleret in omnibus.

Eminere tamen videbatur in præfervida indole constans & æquabilis vultus ac vitæ tranquillitas, orta ex intima & familiari cum Deo conjunctione; adeo ut nemo ullum unquam in eo commotioris animi, nedum perturbati, signum, deprehendere potuerit, etiam in crebris & gravibus morbis, quibus infirma va-

18.

Religiosus litterarum magister.

\* *Lege Janum Nictum Erythrum Pinac. II. c. 50.*

\* *Act. 26.*

\* *An. 1570.*

19.

Animi bene compositi beata tranquillitas.

letudo in ultimum discrimen adducebatur, erumpente sapius è venis pectoris sanguine. Harum assidua exercitatione virtutum singularem religiosam vitam ac perfectionis notitiam erat adeptus; itaque nostrorum in collegio Romano concientiam & pietatem diu rexit. Elucet eadem in quatuor editis ab eo meditationum piarum libris. Non cessabat tamen accusare se, tanquam inertem servum, & divinum beneficiorum immemorem, ac propterea æternis merito pœnis addendum. Adeo bonarum est mentium attendere quid debeant, non quid reddant.

S. XIV.  
P. JOANNES BAPT.  
ALEXANDRIUS.

\* *Ætat. an. 56.*

\* *Anno 1560.*

EXTULIT Perusia octavo Kalendas Septembr, \* P. Joannem Bapt. Alexandrium, de studiosa juventute ac plurimis Ordinibus religiosis præclare meritum. Militiam & castra fuerat secutus adolescens. Inde conversis ad privatum de morte fratris dolorem ulciscendum armis, inimicum diu investigatum tandem affectus, & jam sublato gladio mactaturus, supplicem accidere sibi ad genua cernit, vitamque, interposito JESU nomine deprecari. Repressit se, ac deprecatione tanta victus, veniam inimico lubens & vitam concessit. Statim, Deo facinus egregium remunerante, profanam abjicere militiam, & sanctiora Societatis arma induere decrevit. In sacrum igitur adscriptus agmen \*, duos & viginti natus annos, post varia munia rectè prudenterque gesta, & quinquennium in Perusino collegio regendo collocatum, totum se contulit ad excolendos collegii Romani studiosos adolescentes. Amplius quingenti eo magistro vitam religiosam, Societatem etiam complures, amplexi sunt: iique omnes tam bene lecti, ut à Deo vocatos nemo non cognosceret; ac P. Alexandrium peculiari luce collustratum esse divinitus ad eam rem, fama prædicaret. Ex aspectu, è primo congressu, quid illorum quisque vellet, quid posset, ac deberet, conjiciebat illico & declarabat: nec paucos, licet magnum quiddam spirantes ac pollicentes, ab instituto religioso deterrebat; eventum consilium auctoris approbante.

20.

Prudentia in  
juvandis adol-  
escentibus ad  
religiosam vi-  
tam vocatis.

Ipse porro in hoc negotio ita ferè versabatur. Primum assiduis precibus & sacrificiis, tum assistendo corpore, divinum lumen exposcebat, Deinde quos excolere decrevisset, in aliquod B. Virginis sodalitium adscribendos quamprimum curabat: si essent advenæ, collocabat urbanis in contuberniis, quæ temperaverat certis legibus, & unde periculum omne removerat. Ex eo numero selectos quosdam frequentatione sacramentorum, rerum cœlestium contemplatione, victoria cupiditarum, contemptu sui, exercebat; interdum nihil committens severè oburgans, aliàs pœnam imponens pro errato leviore non levem. Ceterum omnes affabilitate sermonis, atque obvia benignitate obstringens sibi: nec animorum duntaxat, sed corporum, si res ferret, gerens curam; ita ut parentem in eo cuncti sentirent. Accedebat opinio sanctitatis, qua nihil mortales potentius rapit. Perusiam, ubi honestissimo loco natus erat, infima domesticorum officiorum, sacerdos ipse ac rector collegii, obibat munera: humum in villa fodiebat; inde sportas & onera per mediam urbem reportabat. Si quis externus operam sacerdotis expeteret intempesta nocte, nunquam non præsto erat: cumque aliquando à ganeone per ludibrium evocatus, ac per totam civitatem frustra circumductus fuisset, non inultam profanus ludio procacitatem tulit, ante ipsas collegii fores in rixa nocturna confossus, & sacerdotem, à quo expiaretur, frustra inclamans. Admonitus Alexandrius de inopia quadam collegii domestica, Deum precari, ut solebat, occœpit: & in ipso temporis puncto apparuit ad januam famulus, necessariam penam deferens, quam pia mulier submittebat. Aliàs trepidus ad eum accurrit nuncius, irrupisse domum lictores clamitans, & auferre pignora, ob æs alienum quadraginta aureorum. Ipse statim ad precationem confugiens, moræ nonnihil impetrat à licitoribus: & medio illo spatio nescio quis præter spem oblatas, in manum illi aureos quadraginta dedit, civem obisse narans, a quo legati testamento fuissent.

S. XV.  
PP. STANISLAUS  
HERBESTUS, &  
JOANNES HARTUS.

PECULIARE quiddam habuit P. Stanislai Herbesti, Roxolani, vocatio ad Societatem. Degebat atatem honoratam domi, & spem illi dignitatum amplissimarum fama doctrinæ probitatisque magnam faciebat. Ut asperiores, spretis mortalium rerum illecebris vitam sectaretur, litterarum ex Indiis allatarum lectio persuasit, ita secum reputanti scilicet: Si barbari Christianis recens initiati sacris ad

ad perfectionem Evangelicam tanto studio contenderent, quid tandem facere par esset homines in sinu pietatis educatos à pueris, & liberalibus disciplinis ad omnem honestatem exultos. Deliberanti de vitæ instituto deligendo, molestam ac diurnam dubitationem Virgo Mater implorata sic absterfit, ut planè intelligeret, habueritque deinde persuasum, se ad Societatem æterna Numinis destinatione vocatum\*. Consentaneam divinæ vocationi vitam, & omnibus religiosi viri ornatam virtutibus produxit usque ad annum MDXCIV. & in æde nova collegii Jaroslaviensis, recens consecrata, sepultus est.

Eodem die, cum in eandem sacram ædem è veteri Societatis templo transferretur corpus P. Joannis Harti, Angli, ante annos septem Jaroslaviæ mortui, repertum est integrum, ac veluti proximè vita spoliatum. E patria & academia Oxoniensi, ubi liberalibus disciplinis ac theologiæ operam dederat, profectus in Galliam, religionis catholicæ liberius exercendæ causa, post annos aliquot in collegio Remensi Societatis traductos, in Angliam reversus erat anno MDLXXX. Sed statim comprehensus de religione interrogatur. Cum se catholicum apertè profiteretur, & eximie specimen eruditionis daret, animosque omnium ipsi conciliaret liberalis forma, & latentis index innocentie candor, splendori generis bellè respondens; injecta spes est iudicibus & cupiditas adolescentis à Fide catholica demovendi. Ergo illum ad Oxoniensem academiam remittunt, ut ibi libera velut habitus in custodia, depravaretur paulatim consuetudine amicorum, ac disputandi vivendique licentia, quæ mores vulgo & religionem pessundat. Fefellit spes improbas Harti constantia. Reducitur itaque Londinum, & in carcerem tetrum deprimitur, maceratur longa fame, distrahitur in equuleo. Qui blanditias Oxonienses vicerat, Londinenses cruciatus facile superavit. Erat illi mater, catholica illa quidem, sed mater. Hanc adhibendam ad vincendum filium putaverunt. Nec dubitabant quin conspectu juvenis tot miseris oppressi conterrita, eum à sententia retinendæ religionis abduceret. Subit ergastulum matrona fortis: onustum ferro, pallentem inedia, toto corpore distortum filium, intuetur: &, Euge, fili; nunc te meum, inquit, agnosco: cælum respice: non eripitur tibi vita, sed meliore mutatur. His accensum suavissime complectitur; & amore ac metu major, amore filii, metu sui periculi, recurrit ad iudices, ac filio bene esse renunciat. Quam illi vocem ad suam mentem interpretati, convolant in carcerem. Senere se victos à femina, & dolere. Iram atque ultionem in filium vertunt, eumque mora & gravitate diurni martyrii tentant perdomare. Anno exacto, fortior apparuit. Ergo eductum capitalis rei damnant, cum P. Alexandro Brianto, & aliis aliquot sacerdotibus.

Necdum tamen omnis ejus labefactandi cessit fiducia. Raptabatur ad patibulum Campianus: producit Hartus in plateam; jubetur spectare, & timere. Vidit, & invidit. Necem sibi non aliam optavit: atque ut voti compos esset, expetivit Societatem JESU, in qua majorem fore sibi facultatem consequendæ similis gloriæ sperabat. Sed novis antea laboribus probandus fuit. Restabat iudicibus una ejus expugnandi ratio; certamen theologicum: nam inter catholicos doctissimus habebatur. Adversarius illi, ægrè vitam in siti & fame dudum trahenti, oppositus est Raynaldus, qui tunc in Calvinistarum schola regnabat. Hunc semel iterumque in summas conjectum angustias, tacere & latere compulit; ac ne cui veniret in dubium disputationis exitus, eum scriptis publicè litteris Hartus consignavit; quas à Casaubono vel ignoratas vel dissimulatas oportet, dum falsa quædam de Harto pariter & Campiano comminiscitur. Victi Raynaldi mercedem Hartus indignissimam & iniquissimam tulit, graviores pœnas. Siquidem in reum capitis damnatum, si nulla novi criminis aut indicii subsit causa, favire legibus vetitum est. Sed nulla in catholicorum gratiam leges audiebantur, etiam æquissimæ, & communi gentium jure sancitæ. Fossa erat in altitudinem viginti pedum depressa, cœno sordibusque scatens. In hoc fetenti ac lurido sepulcro per dies amplius quinquaginta jacuit Hartus; ac tenebris, inedia, odoris intolerabili sceditate, in summum vitæ discrimen adductus est: nulla in tam gravi cruciату consolatione recreatus, nisi quod illi probrosa mors obeunda pro reli-

Ggggg 2 gione,

21.  
Litterarum In-  
dicarū fructus.

\* An. 1571.

22.  
P. Harti con-  
stantia in ca-  
tholicæ Fidei  
professione.

gione identidem denunciabatur : quo nuncio reviviscere , ac vires novas recuperare sentiebatur . Interim clementiæ laudem appetivit Elizabetha ; seu potius coeptam formidavit . Septuaginta tres deligi sacerdotes catholicos , in se condari nebantur in vinculis , iussit ; quibus magni beneficii loco donavit exilium , postquam meliorem ac majorem vitæ partem sexcentis cruciatibus abstulisset : ut non illis donata lucis usura , sed negata mortis gloria merito censeretur . In eorum numerum Hartus sorte venit . Votum ineundæ Societatis conceperat in carcere , quod cum à P. Gaspare Haywodo delatum ad Prapositum Generalem fuisset , cooptatus in eandem fuerat XV. Kal. Apriles anni MDLXXXIII. Solutus vinculis Virodunum , ubi tirocinium poneret , concessit . Inde Romam accitus , ac missus postea Jaroslaviam , ad præmia laborum evocatus est anno MDLXXXVII. quarto decimo Kal. Sextiles .

§. XVI.  
P. FRANCISCUS  
MORALES.

A.C. 1595.  
Soc. 56.

23.  
Qua ratione facinorosos publice plectendos adjuvaret.

P. Franciscus Morales Apostolicæ vitæ ac laborum experientiam attulerat in Societatem , illi adscriptus annis jam exactis undequinquaginta , quorum partem magnam traduxerat in parcœcia S. Vincentii , urbis Abulæ , patriæ suæ , administranda . Servandarum animarum cupiditatem , cui semper unicè deditus fuerat , auxit susceptum vitæ institutum ; suos dicebat hortos esse carceres & nosocomia , in quibus inambulabat frequens , olidam hauriens placidè mephitim , ut vernos rosarum odores delicatæ nares bibunt . Ad eos qui ob scelera publice in paribulum agerentur , iuvandos peculiaris in illo dexteritas elucebat . Porro ita se comparabat ad hoc officium caritatis . Primum se affligendo , ac diverberando corpore iustitiam divinam lenire , ac placare miseris nitebatur : deinde Christi Crucifixi effigiem illis in manus tradebat spectandam attentius , dumque oculis in ea defixis , mentem piis affectibus fidei , spei , caritatis , ac doloris , præeunte verba Patre , taciti occupabant , ipse ad eorum latus procumbens in genua Deum deprecabatur , profusa vi lacrymarum . Denique exurgens , completensque jam permotos , pectora quamlibet saxea mollebat . Adhuc Hispania meminit illius anni , cui ab epiphoris factum ideo nomen , quod noxiis humoribus in pectus defluentibus maximè infestus & exitialis existerit . Grassabatur per omnes domos immedicabilis lues : in urbibus funera , in templis solitudo : parochi cum religiosis sacerdotibus , publico languentes & ipsi morbo , solita munia intermiserant . Morales , quasi ad communis mali remedium relictus integer ac valens , refertas laborantibus domos obibat , sacramenta etiam extrema , permitte libenter antistite , deserens agrotantibus , & vices unus multorum implens .

Sæpe hominum pericula Deo monstrante illi fuere cognita . Ergastulum aliquando ingressus vidit nescio quem otiosè spatiantem ; & , Heus tu , o bone , inquit , scin' imminere tibi , dum loquor , mortem ? Adesdum , peccata confiteor . Audit confitentem , absolvit , ac reliquis præfidiis in eodem vestigio munitum , exspirantemque componit . Numantiæ , multa nocte rectorem collegii festinus convénit ; veniam domo prodeundi petit : esse aliquem in nosocomio sibi notum ad instantem mortem comparandum . Prodit , & quem indicaverat , offendit morientem , nemine suspicante ; tantumque vitæ superfuit , quantum ad sacramenta perquam illi necessaria ministranda opus erat . Neque istud portenti simile non est quod ipsi , dum parcœciæ Vincentianæ curam adhuc gereret , contigit . Ibat in oppidum vicinum insidens mulæ , per nivofam hyemem . Subitò mula callentem eritum deferens , per avia & vepribus nivibusque horrida loca sessorem , incassum flagello calcaribusque savientem , raptat ; neque ante constitit , quam in collem evassisset , ubi pauperula mulier jacebat enixa moribundum infantem : quem Morales divinam adorans providentiam , prius salutare lympha tinxit , quam animam cœlo destinatam efflaret . Mula velut officio perfuncta dimissum iter sedatè ac tuto repetivit . Sic ad ejusmodi salutis gratiæque miracula Deus illis uti amat , quos vera sanctitate sibi propiores & conjunctiores habet . Ex quo etiam intelligas quanto plus ad illustrandam Dei gloriam , & salutem animabus afferendam valeat germana virtus , quam eruditionis , famæ , eloquentiæ phalerata pompa . Neque enim iis dotibus humanis valdè ornatum Patrem Moralem accipimus , sed

con-

contemptorem sui egregium fuisse, ad majorum nutus omnes, quamvis jam grandævum, tironis instar tractabilem; incommodorum appetentem & cruciatuum, quorum sitim non extinxere morbi, non acerbissima stranguria, qua demum sublatus est III. Kal. Mart. Totis sex ac viginti diebus nullam omnino neque diurnæ neque nocturnæ quietis partem capere potuerat; cum Christi JESU ac MARIÆ aspectu majorem in modum recreatus est. Matronam nobilem, cujus mores ac pietatem regebat, commendans uni è nostris; Brevi me sequetur, adjecit. Nec multi dies intercesserant, correpta morbo & extincta est, identidem se a Patre Francisco vocari dicitans.

HENRICUS Cardinalis & Archiepiscopus Eborensis, qui postea rerum in Lusitania potitus est, collegium Societatis Eboræ, in eoque academiam insignem, quæ clarissimis postea doctoribus floruit, fundaverat. Nihil porro antiquius habebat, quam ut eandem lectissimis magistris instrueret. Eos à S. Francisco Borgia, cui tunc in Hispania Societatis cura per sanctum Ignatium commissa fuerat, postulavit. Borgia, Societatis adhuc nascentis copias sanè angustas cernens, Cardinalis litteras ad notissimum illud Hispaniæ fidus, Joannem Avilam mittit; ac rogat, si quos in suis discipulis videat doctrina & virtute pares huic munerari, & Societati nostræ idoneos, ad se confestim venire jubeat. Avila communicato cum Numine diligenter negotio, duos è suis alumnis, viros præstanti eruditione ac pietate, Fernandum Perezium & Petrum Paulum Ferrerum, utrumque Hispanum, advocat, & Noctis, inquit, quemadmodum Baptista sanctissimus discipulos meliorem in scholam transmiserit, Hoc incitatus exemplo, nec obscuro divini Numinis impulsus instinctu, dimitto vos ex istis veluti umbraculis in palæstram longè præstantiorem. Petiit à me Venerabilis P. Franc. Borgia par theologorum, qui docendi legitimam adepti potestatem, & ad omnes provecti academiam gradus, Eborensis Societatis scholam, ab Henrico Cardinali recens fundatam, regant. Idoneos ego vos arbitratus sum qui hunc locum impleretis. Ite, quo divina vocat gloria, & Societatem Jesu amplecti, auctore me, ne dubitate: schola Christi est; huic ego vos traço, & confido fore ut vos dignos tanto magistro discipulos aliquando præbeat.

Avilæ vocem, tanquam ab ipso profectam Deo, exceperunt. Parentibus relicta & fortunis, quibus laurissimis utebantur; necnon honorum blandientium abjecta spe, Borgiam conveniunt: à quo peramanter accepti adsciscuntur in Societatem. Non fuit opus diuturna exercitatione ad formandos homines, manu tanti artificis, quantus erat Avila, perpolitos; adhuc tirones veteranorum militum, virtutem ostenderunt. Itaque nihil cunctatus S. Franc. Borgia utrumque mittit Eboram: ubi Fernandus Perez tradendis explicandisque subtilioris theologiæ arcanis præficitur; Ferrerus sacris litteris exponendis. Neuter ab instituto virtutis cursu deflexit, summamque doctrinæ cumulatae laudem, cum pari perfectionis religiosæ fama junxit. Perezius brevi præstantis ingenii lucem diffudit: cujus admiratio discipulos illi ex omni collegit Lusitania, & Eborensis referit academiam, non sine magna illustrissimi Fundatoris voluptate; qui Francisco Borgia de talibus magistris academiae suæ donatis gratias egit amplissimas, eosque omnibus ornamentis honestavit. Nullus erat, non solum in perplexis theologiæ quæstionibus, verum etiam in materia morum, & legibus conscientiæ impeditis nodus, quem Perezius non felicissimè ac facillimè expediret. Ejus consiliis provinciarum gubernatores, præfides Ecclesiarum, judices, magistratusque regebantur. Ut vero plures fruerentur sapientiæ, quam divinitus infusam ei fuisse vulgo prædicabant, sic partiri vices inter Eborensis & Conimbricensis academiam placuit, ut annum unum Eboræ, alterum Conimbricæ versaretur: atque ad hunc modum in utraque per annos quadraginta docuit, doctoresque formavit, qui omnem deinde Hispaniam insigni eruditione collustrarunt.

Quominus doctrinam excellentem litteris consignatam posteritati Perez relinqueret, humilitas eum sua deterruit; quæ virtus in tanto viro existit admirabilis. Quod priscus ille philosophus ambitiosè, hoc sancte Perezius profitebatur & sentiebat, se nihil scire. Ac sanè ita ferè fit, ut quo quisque longius pro-

§. XVII.

PP. FERNANDUS PERES, &amp; PETRUS PAULUS FERRERUS.

24.

Eorum vocatio ad Societatem: doctrina singularis &amp; virtus.

proceffit in doctrina, eo se indoctiorem arbitretur: dum illi contra, qui vix eam à limine salutarunt, quasi nescirent nihil, se magnificè circumspiciunt, ac de omnibus disertè fidenterque pronunciant. Nimirum ingenii lux magna vastum quendam excelsæ menti ostendit veluti scientiæ campum, cujus immensitatem nulli definiunt termini: dum angusta mens, quia longius aciem non protendit, exiguum, quod præ oculis habet, spatium se percussisse facile arbitrat. Quod vero de se tacitus sentiebat Perezius, hoc factis ac tota vitæ ratione ostendebat. Invitus cum proceribus, à quibus observabatur colebaturque, degebat; ad infimam plebem applicabat se libens; magistratum & munus in Societate, nisi obedientia coactus, nullum suscepit: eoque præsertim tempore vilissima rei domesticæ ministeria obibat; neque frequentius quidquam faciebat aut cupidiùs, quàm ut in culina operam coquo daret. Accidit aliquando ut Sebastianus Lusitaniæ rex Eborense collegium inviseret. Occurrit illi forte Perezius. Quem ut vidit Rex, sciscitatur quid agat domi. Respondet operam se navare coquo. Urget Sebastianus, & nunquid aliud habeat occupationis rogat: viderat enim vultum ingenuo ac liberali rubore suffusum. Perezium fugitantem ac dissimulantem, qui aderant Patres detexerunt; utque doctorem illum insignem esse, omnium sermone celebratum, Rex intellexit, honorem illi habuit tanto majorem ac veriolem, quanto illum vehementius humilis animus declinaverat.

Humilitatem comitabatur numerosa virtutum soboles, quæ ab hac procreari parente solet; obedientia, comitas, prudentia, & calamitatis alienæ commiseratio; quæ cum illo, uti de se sanctus Job \* prædicat, crevisse videbatur. Certe admodum puer vestes suas pauperi erogaverat: domibus deinde nostris præpositus, nemini, qui stipem flagitaret, eam negari patiebatur: cumque Conimbricam anno MDLXXV. vexaret sava fames, jussit ut in ostio collegii, cui tunc præerat, semper esset præsto panis & aliquid obsonii, quod liberaliter egenti turbæ, in civitatem è sterilibus agris catervatim confluenti, distribueretur. Quibusdam rei familiaris angustias opponentibus, Nescitis enimvero, inquiebat, quam divitis thesauri nobis copia sit. Tantum ex opulentissimo Providentiæ divinæ fundo quisque capit, quantum se capere posse confidit. Sanè horrea domestica non semel exhausta, identidem recenti plena frumento apparuisse constat: ac sequenti anno prædia collegii quadruplicato proventu solitam ubertatem vicerunt. Nempe modum divinæ liberalitati nostra fiducia, perinde ut est ampla vel angusta, ponit. Prædicabat non sine magna significatione grati ac memoris animi singulare beneficium, priusquam Societati se adjungeret, acceptum à Deipara; cum in flumen delapsus ac diu submersus, ejus invocato nomine incolumis, præter omnium spem, emerferat. Tanto beneficio devinctus illam incredibili studio semper coluit, ac voto se obligavit ut ejus immunem ingenitâ mortalibus maculâ conceptum omni ope defenderet: quod exemplum quamplurimi deinceps imitati sunt. Has inter virtutes vitam usque ad annum MDXCV. ætatis LXX. produxit.

Longius totis viginti annis eam protulit Perezii Socius P. Petrus Paulus Ferrerus; illi nulla in re dissimilis, aut à prima sanctissimi magistri Joannis Avilæ institutione degener. Linguas Latinam, Græcam, Hebraicam, apprime callebat. Præterea sacrorum librorum eruditionem omnem, historiæ veteris memoriam, rationem temporum, sic erat complexus, ut viva bibliotheca vulgo vocaretur. Candorem sinceræ mentis, demissionem animi, benignitatem adversus omnes, quas in tirocinium intulerat, ad extremum usque spiritum retinuit. Adhæderat assiduam corporis castigationem, cum abstinentiâ & sobrietate summa conjunctam; adeo ut spiritu quodammodo tantum vivens, præter ossa & pellem, nulla præterea corporis parte constare videretur. Obiit IV. Nonas Julii, anni MDXCVIII. ætatis annum agens nonagesimum, in Professorum Olisipponenfi domo.

§. XVIII.  
COSMUS MEACENSIS.

Sic ii, quos hætenus retulimus, vitæ religiosæ curriculum quoddam & stadium feliciter absolverunt. Illud ingressus fuerat insigni fortitudine Japon, qui ejusdem metam eodem anno MDXCV. contigit, Cosmus Meacensis. Auditam à P.

à P. Ludovico Froezio legem Christi erat amplexus anno circiter MDLXVI. At ejus parens, ethnicus ferocissimus, ut rescivit filii defectionem ab avita religione, exarsit iracundia, & imagines, rosarium, sacras reliquias, ceteraque sanctæ religionis ornamenta in flammam conjecit. Filium deinde terroribus ac blanditiis aggressus, postquam in eo ludere se operam videt, detrudit in Bonziorum cœnobium, ubi, tanquam in teterrimo carcere, per annum integrum tulit quidquid impiorum excogitare potuit furor, illudque constantia Christiana superavit. Pugnandi rationem mutavit pater: domum revocat adolescentem, & periculosa lenitate conatur infringere. Cum ne sic quidem quidquam proficeret, demum oblitus paterni nominis & caritatis, filium bonis omnibus exutum adibus ejicit, ac potenti ethnico vexandum, mastrandumque tradit.

Cum hoc adversario, seu verius carnifice, diu colluctatus juvenis rupit iniqua vincula, & patriam fugiens, post varios errores ac discrimina, Sacaium ad P. Ludovicum Froezium venit: orat lacrimis obortis ut se tot creptum, Deo favente, periculis accipiat in Societatem; in ultimos Indiæ fines, si libuerit, amandet; modo acceptam ab eo Fidem Christianam liberè ac tuto profiteri possit. Motus constantia juvenis & commiseratione Froezius eum primo domum nostram, mox in Societatem admittit, annos viginti natum.

Extemplo viam religiøsæ atque Apostolicæ perfectionis arripuit, duce ac magistro eodem Ludovico Froezio: cui complures annos affixus hæsit, & quicum Fidem regnis antehac Evangelio clausis intulit; gravissimos labores ac pericula cum eo pariens; & sacerdotales curas, pro virili parte, adjuvans; præsertim, egregia dicendi facultate, qua instructus quinque interdum per diem ad frequentissimam concionem verba faciebat, disputabat cum Bonziis, veritatem catholicam ethnicis persuadebat. His laboribus jactata valetudo paulum vacillavit, quamobrem repetere Meacum est coactus, ut patrio cœlo recreatus convalesceret; vel potius ut parenti suo meliorem vitam, Deo filii pietatem & preces ita munerante, donaret. Jam anni quatuordecim abierant, ex quo senex in odio filii & erroris amore obfirmatus, omnem de utroque sermonem respuebat: cum anno MDLXXXI. persuaderi sibi passus est ab amico, qui Patribus Societatis familiariter utebatur, ut homines rumore tantum vulgi cognitos, per se cognoscere studeret. Commodum illic P. Valignanus aderat: qui senem, primo congressu plane dedocum, penitus immutavit: tum baptismo cum uxore & propinquis expiatum filio reconciliavit, incredibili Christianorum omnium voluptate. Lætus rediit parenti salute Cosmus noster, valetudinem brevi recuperavit, & in media se discrimina pristinasque dimicationes rejecit. Ingens operapretium fecit in regina Tangi ad religionem veram traducenda; nec non mitigando Terazava, Nangazachii gubernatore. Postremo in Ximum (est Japoniæ pars Occidenti obversa) evocatus, ad meliorem vitam excessit.

NON eandem in suis popularibus clementiam expertus est P. Petrus Aloysius. Ortus erat è Brachmanum in ora Malabarica genere, ac familia non ignobilis futurus heres, nisi in familiam Christi & Societatem cooptari maluisset. Educatum in collegio Goano, & post datum indolis optimæ ingeniique specimen, acceptus in Societatem, tanto majorem ad incolas Oræ Piscariæ juvandos attulit facultatem, quanto eorum linguam & mores plenius cognoscebat. Ab iis tamen, non civis, sed hostis loco habitus, sensit illis cariora sua ipsorum esset vitia, quam humanitatis & naturæ leges. In eum quippe Apostolica libertate flagitia objurgantem coorti jaculis infestis, vocem invisam ut opprimerent, confossum ac seminecem reliquerunt. Ereptus nihilominus impiis manibus, ac persanatis vulneribus, ad pristina caritatis officia cum aliis quindecim, qui barbariem hanc cicurabant, sacerdotibus è Societate se retulit. Ad laborum præmia capienda evocatus est pridie Nonas Martii MDXCVI.

Mitiores & æquiores Americanos senserat P. Antonius de Mendoza, in quo splendorem generis à nobilissima Gusmanorum & Mendozarum stirpe ducti, virtus non vulgaris illustravit. Post annos aliquot novitiis instituendis & regendis datos, collegio Complutensi præfuit, tum provinciæ Mexicana. Inde in Europam

25.  
Constantia vocationis religiosæ tenax.

S. XIX.  
PP. PETRUS  
ALOYSIUS, &  
ANTONIUS MENDOZA.

A. C. 1596.  
Soc. 57.

pam reverfus ut Præpositum Generalem de rebus Indicis ad Societatem spectantibus, certiorer faceret, Congregationi Generali quintæ interfuit, & in ea creatus est Hispaniæ Affistens; quod munus annis ferè tribus gefit. Pars virtutis ejus longè maxima fuit virtutem ipsam, & genus, & quidquid apud mortales commendationem aliquam habet, premere fententio, & religiofe demiffionis tenebris obfcurare.

36.  
Propinquorum  
confuetudo vi-  
ris Apoftolicis  
fugienda.

Interrogatus aliquando cur propinquorum confuetudinem & colloquia tam diligenter fugeret: Quia, inquit, experiendo didici, nusquam minorem pietatis fructum, quàm inter propinquos à religiofis viris colligi. Confultus de re quilibet non ante respondebat, quàm orato breviter Deo: bis quotidie peccata sacerdoti confitebatur: cilicio horrido, & genuum tenuis promiffio, artus aliquot exiles & parum robustos macerabat. Redeuntem ex America tempeftas fœda, invaferat: confternatos cum vectoribus nautas erexit, pia potius precationis ope, quam arte tractandi gubernaculi, cui manum admovens omnes præfentiffimo periculo naufragioque liberavit. Lumine divino collustratus fupremum vitæ tempus cognoviffe fertur: medicis morbi levitatem contemnentibus, letalem effe ac noviffimum affirmavit. Monitus ut hora certa nefcio quid medicæ potionis hauriret: horam iftã optimam fibi refpondit fore, illaque ipfa expiravit Romæ IX. Kal. Junii, anno ætatis LII. ab inita Societate XXXII. Cadaveris altero poft obitum anno mollis & tractabilis caro deprehensa; documentum plerisque vifum illibatae caftimonie.

§. XX.  
P. EMMAUEL SA.

EIUSDEM anni MDXCVI. mensem ultimum vitæ quoque poftremum habuit P. Emmanuel Sa, Lufitanus, clarum inter Societatis theologos nomen. Ingenium illi excellens, limpidum, & in magna rerum bene perceptarum ubertate, amantiffimum brevitaris: iudicium fimiliter maturum, folidum, ac veri tenax; docile ramem ac flexibile, adeo ut ad alienam fententiam & nutum facile fingeretur. Par fcribendi legendique contentio: nec minor intelligentia gultusque rerum divinarum, quem affidua precatione alebat: in quo non parum profecerat confuetudine Sancti Francifci Borgiæ; quem adhuc Gandiæ Ducem, & Societatis in eundem confilia voluentem, philofophicis difciplinis privatim inftituerat. Ab illo in Italiam deductus philofophiam ac theologiam Romæ diu docuit; dixit ad populum; ac facras demum litteras interpretatus eft. Cum felectis theologis in emendandam Sacrorum Bibliorum editionem incubuit, Pii V. Pontificis iuffu, cui aliquandiu à concionibus, abfente Toletio, fuit. Mediolanum à Sancto Francifco Borgia miffus ad ordinanda novi collegii studia, facram paginam ibi explicuit, fingulari lectiffimæ coronæ plaufu, & sancti Caroli Borromæi approbatione: qui tamen eum amovendum Mediolano curavit. Inciderat fanctiffimo antiftiti nefcio quid altercationis & controverfiæ cum gubernatore Mediolani, ac regis adminiftris; in eaque concionator Societatis favere gubernatori, contra præfulem, vifus erat, ut annales noftri narrant ad annum MDLXXIX. Eidem gubernatori & civibus primariis acceptiffimum Emmanuelem cernens fanctus Cardinalis, extimuit ne quid inter docendum illi excideret, unde revivifceret difcordia fopitus ignis. Itaque confultius duxit primùm quidem ut ne publicè verba faceret, deinde etiam ut aliò quopiam demigraret. Haud cunctatus Emmanuel in tirocinium Aronense, non procul Mediolano, fecellit: otiumque ad exponendas confulentibus & enucleandas confcientiæ quæftiones contulit. Febri quartana extinctus eft, annum agens octavum & fexagefimum: etfi quidam totis feptem annis faciant fenioerem, annuis litteris in errorem induciti.

Nihil à fuperioribus deprecari foiebat, nifi ut ne alii præffet. Precationi magnoperè deditus integros propè dies in ea conterebat: de Deo mirum eft quam libenter & jucundè privatim, quam graviter & ubertim publicè, loqueretur. Hiftoriam fui quoque temporis accuratè perdiscere ftuduerat; ut ex eo penultima exempla illuftria facris codicibus, quos explanabat, accommodata depromeret; iisque in loco utebatur, fuma audientium voluptate. Sic enim fumus à natura comparati, ut notis & recentibus factis plus moveamur, quàm antiquis. Multa cogitatò & copiofè cum differeret, pauca tamen fcribebat (quod ejus Aphorif-

Aphorismi, & Notæ in S. Scripturam testantur) contra ac faciunt nonnulli, qui pauca cogitant; plurima & loquuntur & scribunt. Ager nihil petiit, nihil questus est, nihil recusavit. Mortem, quam Deiparæ ac S. Ignatii monitu cognitam ipsi fuisse ferunt, aiebat esse sibi eo nomine suavissimam, quod in Societate moreretur: ita se summam votorum attigisse confirmans.

VIXIT P. Emmanuel Sà in pacato, quamvis minimè desidioſo, litterarum orio: Patres Brennerus, Gonzales, Porrius, & alii quidam, quos idem annus MDXCVI. abstulit, negotiosam actuosæ vitæ secuti viam, eidem sunt immortui. Vvila Imperiale, ut vocant, ac liberum est in Ducatu Vvurtembergensi oppidum, non procul Stugardia & Tubinga. Mansit quietum, & intestinæ discordiæ expers, tandiu dum in Ecclesiæ Romanæ fide mansit: ubi primum per pastorum negligentiam in mœnia subrepſit Hæresis; discordia, seditiones, tumultus, comites Hæreseos perpetui, subierunt. Eos motus ut componeret, venerat anno superiori circa ferias Paschales, expetitus à Spirensi Episcopo, P. Jacobus Brennerus, Luxemburgensis.

Ac primo quidem infectari vitia communiter cœpit, nihil de capitibus Fidei controversis disputans: qua moderatione ac prudentia sic animos hæreticorum, pariter & catholicorum demulſit, ut ab utrisque audiretur libenter; atque ad ipsam disputationem, & eas quæstiones, de quibus inter utrosque certatur, publicè tractandas iavitaretur. In aciem igitur veluti procurrrens, nutantes catholicos confirmavit, transfugas ac desertores in castra veritatis reduxit, tela demanibus præconum erroris extorsit. Ac debellatus error fuisset omnino & profligatus, nisi consul hæreticus, foedam suorum fugam & cladem intuens, edicto vetuisset, ne quis præterea Jesuitam doctorem audiret. Quocirca Brennerus in suum catholicorum ægmen recipere se coactus, pacem & concordiam inter disfidentes conciliare; ritus Ecclesiæ obliteratos aut depravatos restituere; Eucharistiæ ac B. Virginis cultum reducere, vel augere, laboravit. Rebus ita stabilitis discedens, muneribus etiam hæreticorum ornatus est; rogatusque enixè à catholicis ut rediret. Fidem datam liberavit, reversus anno MDXCVI. & pristinos repetens labores, senatum urbanum eò adduxit ut summa civium voluntate ac solenni decreto sancitum sit, ne consul senatorve legeretur è numero Protestantium: ne cum iisdem catholici matrimonia sociarent; ne illorum quispiam civitate donaretur. Quæ ut starent, lecti sunt è vicinis Principibus catholicis duo, qui ea tuerentur, contra urbium vicinarum Lutheri dogmata proſitentium motitiones: ludis denique litterariis præpositi sunt magistri, quorum spectata fides & virtus puros sinceræ religionis latice auribus teneris puerorum instillaret. Non minori, quàm antea, desiderio ac marore civium, his peractis Monachium demigravit; atque hinc, ut spes est, in cœlum \*, a supremo imperatore meritam rudem accepturus.

Finem quoque vitæ ac præmium cepit Valentia, in Hispania, P. Martinus Alberrus, Cantaber, annos vitæ septuaginta, religiosi stadii quadraginta, emensus. Obscuritatem generis, virtute; virtutem etiam signis ac portentis nobilitavit. Orbatus parentibus, oves alienas pascebat ruri: grege morbis imminuto, heriles iras ac penam timens, Valentiam fugit. Hic piorum liberalitate sustentatus, & productus in collegium, ad litterarum ornamenta sacerdotii paulo post dignitatem adjecit. Jam grandis natu Valentinum in tirocinium admiffus \*, brevi quantus esset olim futurus ostendit; adeo nihil, quo domare se posset ac vincere, omittebat. Nec dubitavit jam tum caput objicere præſenti periculo, ut peste infectis ministraret. Vitam fere omnem exegit Valentia, in visitandis carceribus, confessionibus excipiendis, quærendis alicui publicæ vel privatæ calamitati remediis. Maximam noctis partem precibus dabat, tunc tristior ac sibi displicens, cum ternas duntaxat vel quaternas horas iis indulſisset. Hac orandiratione plurimum utebatur: suæ tenuitatis ac miseriæ conscius divinam liberalitatem multo gemitu implorabat, catelli more (sic enim de se fatebatur) qui opiparam domini mensam contemplans, latratu querulo testatur famem, & blandiendo, clamitando, huc illuc se jactando, nonnihil demum elicit. Studium &

S. XXI.

PP. JOANNES  
BRENNERUS, &  
MARTINUS AL-  
BERRUS.

27.

Agendi cum  
hæreticis ratio.  
Præſidia religio-  
nis.

\* 12. Mos.

\* Anno 1556.

exercitationem humilitatis precationi sedulo adungebat, id sibi à Deipara precipue commendatum affirmans. Hæc spectandam aliquando se dedit oranti. Cre-  
fcentem lunam pedibus premebat. Ex humeris alba tunica, velum talare ceru-  
leum è capite stuebat. Oculis modestissime demissis, manus pectori appressæ pun-  
gebantur. Pater æternus filia carissimæ; Filius Deus optimæ matri coronam,  
volante desuper columba candidissima, imponebant. Ita Virgo purissimam conce-  
ptionem suam bene adumbrari significavit.

28.  
Imago Virginis  
sine macula  
conceptæ.

\* *Form. II. Vir.  
Illust.*

§.XXXII.  
P. ÆGIDIUS GON-  
ZALEZ AVILA.

\* *Parte IV. Hist.  
Lib. I. num. 2. ad  
an. 1575.*

\* *Alegamb. pag.  
71. C. 226.*

29.  
Ejus obedientiæ  
exemplum me-  
morabile.

Vocat illico pictorem Alberrus, imaginem adhuc animo recens impressam  
explicat. Redit aliquanto post pictor, tabellam ostendit: cui Alberrus: Immane  
quantum à veritate aberrasti: nisi purâ manu virgo purissima depingi ut par-  
erat, nec voluit, nec potuit: elue animi sordes, tum operi manum rursus ad-  
move. Paruit; animum abluit; opus ita emendavit, ut divina pictum manu vi-  
deretur. Exstat hæc imago in Valentina domo Professorum, ejusque plurima per  
Christianum Orbem exempla dissipata sunt. Ab eadem sanctissima Virgine multa  
didicisse fertur ac prædixisse, quibus fidem eventus fecit. Mauros Granaten-  
ses à Philippo III. ejiciendos; Carthusianam domum, quæ ab *Ara Christi* nuncupa-  
tur, instituendam; P. Petrum Villalbam Valentia moriturum; & alia plurima,  
quæ prolixius à Nierembergio exponuntur\*. Nec suum ipse obitum, Deipara,  
monente, nescivit. Obrulit ea se videndam, & *Post triginta*, inquit, *mercedem*  
*laborum à Filio meo consequeris*. Cum hoc suum gaudium amico impertiret; is  
mensæne triginta sint, an hebdomadæ, an dies, interrogat. Et Alberrus, Re-  
sciam, inquit, modo: simulque ad precationem & Virginem reverfus; paulo post  
renunciat, triginta dies esse, quibus elapsis interit, Kal. Septembr.

EIUSDEM B. Virginis cultor eximius existit P. Ægidius Gonzalvus, sive Con-  
salvus Avila, Hispanus, qui profectus ad tertiam Congregationem Generalem  
cum PP. Martino Guterrio & Joanne Soario, captusque ab hæreticis, manus imp-  
pias gravibus acceptis vulneribus vix effugit\*. Fuerat S. Theresia à sacris con-  
fessionibus in Hispania, eamque ad fundandum Salmanticense monasterium non  
parum adjuverat. Delatus Romam accepit ab ea litteras, quibus illa significabat  
se divinitus cognovisse P. Martinum Guterrium in cælo martyribus annumeratum  
esse, ob necem ipsi ab hæreticis illatam\*. Consalvus in eadem tertia Congre-  
gatione Generali Assistens Hispania electus, hunc locum annis octo implevit;  
quibus exactis rediit in Hispaniam, ac Toletanam provinciam, deinde Bæticam  
rexit. Rursus in Urbem profectus Congregationi Generali quinta interfuit,  
Madridumque ad negotia gravissima componenda missus, tridui morbo consum-  
ptus est XVIII. Kalendas Februar. anno ætatis LXIV. Exemplis modestiæ ac pie-  
tatis, quæ in hominibus nostris cernebat puer, pellectus ad Societatem est.  
Singularem prudentiam, inditam à natura, variis muneribus in Societate gestis  
perpoliverat. Moderationem erga subditos, & constantiam in tuenda Præpositorum  
Generalium auctoritate semper retinuit.

Illud quippe non diuturna tantum experientia, legumque nostrarum & In-  
stituti peritia, sed exercitatione ipsa didicerat, Societatis decus ac sanitatem  
obedientiâ, sic tanquam animâ, contineri: eoque fidentius imperabat, quo prom-  
ptius noverat obedire. Quam enim exigebat obedientiam ab inferioribus, ean-  
dem ipse superioribus præstabat. Quod cum sæpe aliàs, tum vero insigniter osten-  
dit, quando proximè subrogandus in locum P. Araozii ad provinciam gubernan-  
dam, monitus fuit à S. Francisco Borgia, ut se ad tradenda linguæ Latinæ pue-  
ris elementa compararet. Imperium æquissimo animo accepit; ac totum se rudi-  
mentis illis puerilibus perdiscendis, quò facilius ea doceret, dedit.

Tanti ejus virtutem & præclaras dotes P. Hieronymus Natalis faciebat, ut  
veniens in Hispaniam anno MDLX. Iustraturus Societatem Commissarii, ut vo-  
camus, nomine, illum sibi comitem adsciverit, & consiliorum ac laborum par-  
ticipem. Hoc munere defunctus, collegio Complutensi præfuit: mox ad inspi-  
ciendam Aragoniæ provinciam Visitator missus est, tum ad Castellanam: ubi no-  
stris omnibus ita satisfacit, ut iis expetentibus, ejusdem Castellanae provincie  
curam susceperit. Philippus II. Rex Catholicus tantum Patris Ægidii prudenti-  
tribue-

tribuebat, ut Oratorem Romæ suum juberet negotia majoris momenti non prius tractare, quàm ea cum illo communicasset. Neque vero humanis duntaxat rationibus hæc singularis prudentia nitebatur, sed multo magis divina luce, quæ in ejus animum ab assidua precatione defuebat. In gubernandis hominibus, æquitati & rationi addebat suavitatem & humanitatem; illos auctoritatis esse, nervos sapienter existimans. Porro quàm æquus in alios & clemens, tam in se inclemens & asper erat. Hirtum rigidis fetis ciliatum, zonam acuminibus ferreis horrentem, verbera jejunis artubus per noctem sæpe ter inflicta, nunquam remisit, seu domi, seu peregrè versaretur. Neque se pariter ita distringi negotiis & occupationibus, licet gravissimis, patiebatur, quin illis suffuraretur aliquid otii, ad audiendas confessiones peregrinorum, & aliorum id genus hominum, quibus copia sæpe non est sacerdotis qui linguam ipsorum calleat.

P. Joannes de Cagnas, non sibi modò, sed aliis etiam paulo asperior fuisse fertur, cum collegia Cordubæ, Granatæ, Montellæ, ac provinciam ipsam Bæticam regeret: nisi hanc appellare quispiam malit hominis diligentis, & legum vel minimarum exactoris, accurationem; in qua servare modum, ita ut in alteram aut severitatis aut lenitatis nimiam partem non peccet, haud cujusvis est. Certe post ipsius obitum, qui incidit in VI. Id. Junias, post annos LXX. decurfos, repertus fuit libellus, in quem rationes examinis peculiaris per annos ipsos triginta quotidie retulerat. Examinis quoddam est genus, institutum ad evellendas singillatim, quas quisque certius emendare ac citius cupit, noxas: cujus leges condidit S. Ignatius, usurpavitque princeps, & nobis utendas reliquit. Sacerdotio jam initiatus P. de Cagnas ad Societatem accefferat, studio conservandæ castimoniam, quam pluribus prædiciis apud nos munitam audierat. Deposuit à medicis, in collegio Malacitano, inquit Alfonso de Torrez, ecclesiæ Malacitanæ decanus; & amicum ad Superos abeuntem suavissime compellens, Siccine, inquit, nos deseris, mi Pater? At hanc, amabo, mihi operam da, si quid apud Deum poteris, ut consequar te quamprimùm. Ain' tu vero? Serio istuc naras? retulit Cagnas: cave ne te dicti pœniteat. Cui Alfonso: Dixi equidem, nec muto dictum. Age igitur, dextram dextræ junge: spero equidem fore ut brevi te compotem voti faciam. Mortuum extulit Alfonso, & ad mortem, de vaticinatione non dubius, comparavit se se, quamvis ætate & valetudine optima. Nec sefellit prædictio: post duos circiter menses ipse pariter elatus est.

Arcana luce collustratur sæpe mens virorum sanctitate præstantium: eorumque vota, salutem alienam vulgo spectantia, rata facere Deus amat. Ejus generis est quod accidit Compluti P. Didaco Salazario, cui cognomentum de Porrez Maragnon. Jamdudum captabat occasionem perditæ juvenis ad frugem bonam reducendi. Fugitantem diu frustra persecutus, tandem aliquando in cœtu æqualium ridentem ludentemque deprehendit. Statim ille petulanti verbo Patrem adortus, Quorsum huc ades, bone vir? abi modo, cras te conveniam. Cui Salazarius, vocem hanc velut omen accipiens, Bene habet, inquit, cras domi ero, si quid voles: vide ut ad sis tempori. Adfuit enim vero adolescens, ac mutatus à se ipso totus, & scelerum dolore intimo tactus: quem Pater expiatum dimisit, ac tota deinceps habuit civitas Complutensis exemplum pudoris & continentiam. Hanc in urbem à triennio venerat P. Salazarius è longa peregrinatione, quam nomine ac jussu Regis Catholici obierat. Quærenti enim Philippo II. ecquis sacra Hispaniæ loca suo nomine viseret, Salazarium Garcias Loaysa, ut virum pietate præstantem, suggererat. In viam ille se dedit quo more peregrini pauperes solent, recusato, quod ipsi Rex curaverat, lauto viatico; intentus precationi, & animarum, pro re nata, saluti. Egressus Madrito X. Kalendas Quintiles, anni MDLXXXVII. initium itineris ac velut auspiciam duxit ab æde celebri Dæparæ in oppido vicino, in qua orans perstitit ac jejunos horas ipsas quatuor & viginti, suum iter & Philippi Regis vota Reginæ cœlitum enixè commendans. Inde Toletum & alias adiit urbes, quascumque religio vetus & pietas publica nobilitat. Hunc in modum Hispaniam omnem concursans, loca divorum reliquiis aut miraculis consecrata lustravit, precando, & facella templaque donariis regali-

S. XXIII.  
PP. JOANNES DE  
CANNAS. & DIDACUS  
SALAZARIUS.

libus augendo: ac Madritum reversus exeunte anno, rationem itineris sui Philippo reddidit. Rex hominis pietate summopere delectatus, majus opus imponit minimè recusanti, ac Palæstinam suo nomine petere jubet. Iter ingressus XII. Kal. Aprilis, anni MDLXXXVIII. Augusta Taurinorum sacram veneratus undonem, Mediolanum processit, ubi parumper illum ingens sanctorum corporum, quæ visuntur in hac urbe nobilissima, numerus detinuit; quibus honorem, ut à Rege fuerat jussus, habuit, relictis insignibus regie munificentie monumentis. Ægrius etiam Laureto discessit, dulcem injiciente moram eximia loci sanctitate. At Romæ tres totos menses substitit, sacras ædes & impressa sanctæ civitati tot martyrum vestigia, omnibus vetustatis profanæ miraculis potiora, relegens. Sic Neapolim, sic reliquam Italiam, ac bonam Germaniæ partem venerabundus obiit; nec nisi anno MDXC. in autumnum vergente solvit in Palæstinam; quam pari pietate, ac suavitate, totam per biennium peragravit, reversus in Hispaniam diutaxat anno MDXCII. senescente. Incredibile est quot pericula, quot molestias ultro susceptas, & paupertatis crucisque studio exhaustas, pertulerit; quot ope divina fretus, superaverit.

30.  
Iter P. Salazarii  
in Palæstinam.  
Pietas erga B.  
Virginem.

Inchoabat peregrinationem ab æde aliqua Virgini Matri consecrata, in eaque desinebat. Hanc itineris ducem, & expultricem periculorum, appellabat: illa auspice gravissimas, quibus impeditæ viæ interdum reperiebantur, difficultates expediebat; morbos à jumentis depellebat; seipsum ac socios præter spem præstabat incolumes: nihil denique non aggrediebatur, tanto nixus patrocinio, ubi Dei gloriam & salutem animarum agi sentiebat. Unum id exemplo sit. Profectus Oeniponte paulum processerat, cum in pagum pervenit. Virgine in templo salutata, de parochia sciscitatur. Audit esse implicatum pudendo & publico anorum amplius triginta pellicatu. Incessit animum ingens dolor, & simul infelicis animæ commiseratio. Statuit irrumpere in contaminatas ædes, & perditio capiti scelus exprobare. Sed obseratæ fores accessu probos prohibebant: excubabat incesti focia thori mulier, ne quis suspectus aut castus introiret. Occaluerat sacerdotis impuri mens consuetudine flagitii, & obstructæ aures omnia piorum consilia, minas, preces, dudum excluderant, aut irritas reddiderant.

Dubitanti Salazario quid ageret subit recurere ad sacram ancoram, ad sanctissimam Virginem. Illam conciliare precibus laboravit tanto enixius, quanto causa desperatior. Mox funestam domum se refert, quæ statim patuit. Senem morbo flagitiisque confectum videt, sed mutatum; pudore sceleris, ac venia consequendæ spe plenum; sanari denique volentem: quæ pars prima & potissima sanitatis est. Medicinam facere malo promptum non erat; quippe religiosi Ordinis desertorem & fugitivum intellexit. Rursum igitur ad Virginem redit, obsecrans ut bene cæpta perficiat. Quærenti offertur vir nobilis, cujus beneficio senex ad Ordinis pristini sacra reductus claustra, & in libertatem, ruptis tot anorum scelerumque vinculis, est vindicatus. Salazarius Complutum è Palæstina redux curam sodalitiæ gessit, cui Virginis ab Angelo salutatæ nomen. Quo munere nullum ipsi poterat accidere gratius, nullum fructuosius toti civitati, cui prælucebant sodales exemplo probitatis. Demum ad patriæ cælestis, uti confidimus, quietem concessit VIII. Kal. Septembr. Patria illi Concha, Hispaniæ urbs, ætas annorum LVIII. quorum sex ac triginta numerabat in Societate.

§. XXIV.  
PP. FRANCISCUS  
RONSILLUS &  
GEORGIUS BLA-  
VERIUS.

\* Num. 9.

BREVIOREM vitæ mortalis ac peregrinationis cursum habuerunt plerique Socii navibus impositi; quæ raptim instructæ, militem in Angliam deportabant, ad ulciscendam cladem Gaditanam, cujus mentio Libro XV. facta fuit\*. Huic præfectus classi Martinus de Padilla Socios quindecim ex Hispaniæ provinciis selectos acceperat, inque naves præcipuas diviserat. Profectos è Tagi ostio sub finem Octobris tempestas atrox invasit. Dissipatæ naves, & partim contractæ, partim in littus portui Coronensi vicinum sunt compulsæ: ubi vectores plurimos & milites, quibus procella pepercerat, jactatio ipsa morbique consumperunt. In his Socii novem periere. At navis prætoria, quæ Patres Franciscum Ronsillum, & Georgium Blaverium vehebat, vadis impacta prope Nerium Gallæciæ promontorium, triste præ ceteris naufragium fecit. Sublatus ad repentinæ claudis

dis fragorem, militum & nautarum clamor per atram noctem, dira ventorum, fulminumque murmura geminavit; Pauci, ope tabularum, aut brachiorum remigio, in litus evaserunt; plurimi vel hausti fluctibus, vel rupibus illisi & obruti sunt. Inclinata sensim unum in latus carina malum ingentem ita demisit, ut ejus apex federet in terrâ, pontemque veluti sterneret, quo dum uruntur è vecto-ribus præcipui ac terram salvi obtinent, sacerdotem utrumque hortantur, obsecrant, ac pane cogunt saluti consulere. Illi vero se facturos negarunt, donec vel unus restaret in navi: & adhuc trecenti supererant: quos dum peccata confitentes audiunt, dum ad omne periculum fortiter & piè subeundum confirmant, decumanus repente fluctus omnes obruit XIV. Kal. Novemb. MDXCVI. Ejecta cadavera in sacello proximo sepulta sunt. Ronfillus in Hispania: Blaverius in Belgio natus erat.

Ac illi quidem spatii nonnihil habuerunt quo mortem, quamvis luctuosam horridamque, prospicerent, eamque constantiores exciperent: Patrem Petrum Rodericium, Toletanæ domus procuratorem, sanum ac valentem repente occupavit, non tamen imparatum. Nam de illa se admonitum ante menses admodum tres amico prædixerat: eaque ipsa die divinum sacrificium insolita fecerat pietate; cumque singulis diebus in se flagellis per dimidiam horæ partem sævire consuevisset, piæ crudelitati solito liberaliùs indulserat. Demum negotii quidpiam adjutori domestico de ratione aliqua pecuniaria commendans, Id omnino factum velim, inquit, ante certam horam: qua nimirum, in limine suburbanae villæ stans, expiravit\*. Duas præsertim coluerat virtutes; orandi studium, quo mentem ab inquieto negotiorum tumultu sæpe colligebat: ac sensuum corporisque vexationem continuam; nullum ut locum, actionem nullam, doloris expertem & cruciatus haberet.

Non erat in hac utraque virtute remissior P. Antonius de Torrez, cui solenne fuit somnum in scamno brevem carere; comparare se ad concionem diurna & acri corporis verberatione; nec aliam, cum post concionem sudore difflueret, subuculam induere quam cilicium. Populum sexta quaque feria solebat convocare in sacram ædem, ibique historiam narrare, qua inflammati auditores ad fumendas de se ipsi pœnas, & imitandos Christi cruciatus, ultro in abditum secedebant, præeunte Antonio, sacellum, & arma Christianæ poenitentiae non molli brachio tractabant. Horas quotidie orationi quaternas dabat. Palentini cum esset rector collegii mendicium humi jacentem ac moribundum sustulit in humeros, ut in nosocomium deportaret. Conspicati qui præteribant nobiles, partem oneris pii subierunt; eaque occasione arrepta, instituit Antonius sodalitiùm Misericordiae, cujus sodales miserorum gererent curam: eique cives præcipuos adscripsit. Palentiae decessit Nonis Februarii, duos & sexaginta numerans atatis annos, Societatis quadraginta; quorum bonam partem in Hispania Mexicana traduxerat, utrique Orbi labores Apostolicos dividens.

In eadem Nova Hispania Ildesonus Lopes medicus erat celebris & locuples. Post restitutam sæpe alienis corporibus valetudinem, suæ ipsius animæ salutis consulere serio cogitans, religiosam vitam in Societate amplecti constituit, jam annis quinquaginta confectis. Domum Probationis ingressus extimuit ne gravior ætas officeret suis votis. Itaque attondere sibi partem barbæ, quam ex instituto medicorum habebat bene promissam, minimè dubitavit: tandiu se retinendum saltem arbitratus domi nostræ, dum pars detonsa succrevisset, ac parti relictae responderet. Hoc sui specimine dato, admittus est inter domesticæ rei adjuutores; & munus janitoris modestia, sapientia, celeritate ac diligentia singulari, diu gessit. S. Ignatium & conditam ab eo Societatem eximie venerabatur: obedientiam vero utrique adeo caram quanti faceret, supremo in morbo egregie declaravit. Gravi lateris dolore oppressus, quo plurimos olim liberaverat, seque adeo liberasset facile, si sui juris foret; medico tamen, quo tunc domus nostra utebatur, se totum, ut regulæ nostræ monent, permisit: cujus arbitratu malè curatus, exhausto per venæ crebram sectionem sanguine, unà vitam profudit XVII. Kal. Febr. in collegio Mexicano.

Tertio

31.  
Caritas alieni  
periculi memor;  
oblita sui.

§. XXV.  
PP. PETRUS RO-  
DERICIUS, & AN-  
TONIUS TURRIANUS.

\*Die 29. Maii.

§. XXVI.  
ILDEFONSUS  
LOPES, & P. JACO-  
BUS TYRIUS.

A. C. 1597.  
Soc. 58.

32.  
Amor vocatio-  
nis religiosæ:  
obedientia.

Tertio post mense, die XX. Martii obiit in Romana Professorum Domo P. Jacobus Tyrius. Claris in Scotia parentibus natus, cum magnam indolis bonæ ac tue ingenii spem in pueritia ostenderet, ab Edmundo Haio populari suo, metuente ne teneram arbusculam hæreseos Scotiam devastantis pruina læderet, Lovanium ductus, expetiit Societatem, in quam se olim cooptandum cognoverat à sacerdote pio, utque appareret divinitus collustrato. Romam ad ponendum tirocinium anno ætatis XX. profectus \*, eo confecto Parisios venit; ibique tradendâ per annos aliquot philosophiâ pariter ac theologiâ, magnam eruditionis laudem est consecutus. Indè rediit in Urbem \*, designatus procurator Provincia Franciæ. Per eam occasionem cognitus est à Claudio Aquaviva, qui ejus prudentia, fide, ac rerum Gallicarum notitia plurimum usus dicitur: ac demum Edmundo Haio Assistenti demortuo successor, anno MDXCII. exeunte, datus. Quod munus retinuit solus è quatuor Assistentibus post Congregationem quintam, annuente Pontifice; vel quia recens illud inierat, vel quia singulari apud Cardinalem Toletum valebat gratia \*. Narravit ipse Tyrius de se Patri Antonio Menageo, cui, biduo ante obitum, totius vitæ seriem exponere, sibi adolescenti & philosophica studia, ut moris est in Societate, recolere oblatum fuisse in quiete S. Ignatium, & objurgasse, quod non perinde in studium pietatis atque litterarum incumberet: primas in homine Societatis partes virtutis esse oportere. Hac certe objurgatione tantum profecit P. Tyrius, quantum ejus eximia virtus postea demonstravit. Scripsit egregium commentarium de Antiquitate Ecclesiæ Scotiæ, quem Antonius Posssevinus Bibliothecæ suæ inseruit \*, & à Tyrio compositum (nam alienum nomen præfert) testatur Thomas Dempsterus in Apparatu ad Historiam Scoticam \*. Hunc Librum sibi referendum sumpserat Joannes Knoxius, hæreticæ in Scotia scholæ doctor, rogatu Baronis Tyrii ad quem hæresi laborantem scriptum illud P. Jacobus Tyrius ejus frater miserat. Respondit Knoxio idem Tyrius, ejusque responsum multis nobilibus, quorum in manus venerat, errorem eripuit; quemadmodum refert, non sine præcipua Tyrii laude, Joannes Leslæus Episcopus Rossensis \*.

PAULO ante Tyrium cesserat è vita in collegio Romano P. Stephanus Tuccius, Siculus; poeta, orator, historicus, philosophus idem ac theologus præstantissimus: quæ omnia non alio fermè quàm se magistro didicerat. Scriptis nihil admodum, pleraque memoriæ, qua utebatur fidelissima, commendabat. Litteras humaniores docuit in patria, conscientiæ quæstiones Laureti, theologiam Patavii ac Romæ; ubi Franciscum Suarem collegam habuit. Ejus eruditionem & judicium in rebus gravissimis consulebant præfules & Cardinales, atque adeo ipse Clemens VIII. qui ut eum propiorem haberet, collegio Pœnitentiariæ, ut vocant, præfecit. Studendi contentio nequaquam infringebat virtutis studium, neque impediabat quominus quinque horas quotidie ad orandum sepositas inveniret. Diu vestes ac cilicium non exiit, nisi ad quotidianam & asperam verberationem: culcitam ligneo, cui solebat incubare, strato, nisi æger & moderatarum jussu non addidit. Somni, ut alimenti, erat permodici; cum diceret hæc una in re, videlicet in corporis maceratione, & commodorum omnium fuga, homini religioso licere singulari esse. Huic patientiæ materiam uberem postremus morbus dedit. In lava capitis parte accreverat è vitiosis humoribus collectis immane tuber (Ganglium medici vocant) ipsi prope capiti par, quo fauces obstructæ vix ullam animæ ducendæ, ciboque inferendo, viam relinquebant. Eo cruciati tortus quinquennio fere toto, ad extremum intercluso spiritu suffocatus est VI. Kal. Februar. ætatis anno LVII. Obitu ejus cognito Clemens Pontifex virum sanctum obiisse prædicavit.

P. Tuccii discipulus fuerat P. Mutius de Angelis, Spoletinus. Tres Neapoli, septenos Romæ annos theologiam explicuit, ea doctrinæ domi forisque fama, ut tanquam ab oraculo responsa peterentur. Commendabat hanc famam comitas modestiæque non vulgaris, qua id erat adeptus, ut moriens proferi verè posset nemini se, quod quidem sciret, gravem unquam aut molestum fuisse. Id vero difficile iis non est, qui nihil humanum querunt, nihil suum \*: quod Patri Mutio solenne

\* Anno 1563.

\* Anno 1590.

\* Lib. X. n. 80.

\* Lib. XVI. c. 5.

\* Lib. XI. c. 13.

\* De rebus gestis  
Scotorum: sub  
finem Lib. X.

### S. XXVII.

PP. STEPHANUS  
TUCCIUS, MUTIUS  
DE ANGELIS, & JACOBUS  
WIECUS.

### 33.

In summa studendi contentione par virtutis studium.

\* Non que sua  
sunt singuli considerantes, sed  
que aliorum.  
Ad Philipp. II.

solenne semper fuit, ita sui & suorum oblito, ut cum iter haberet aliquando secundum urbem, ubi parentis domus & lauta res erat, adduci non potuerit ut eò diverteret. Demortui corpus post annos decem labis expertum inventum fuit.

Annis aliquot provecior metam vitæ mortalis per annos LVII. feliciter decursæ, attigit Cracoviæ, VI. Kal. Sextiles P. Jacobus Wieceus, Vangroviensis dictus à natali Poloniæ majoris loco. Adolefcens è libris hæreticorum hauserat hæresim: quid enim è fonte venenato nisi venenum & mortem haurias? Dei beneficio factum est ut in ejus manus veniret Cardinalis Hosii liber, *Confessio* inscriptus. Hoc antidoto venenum expulit. Romæ adscitus in Societatem, rediit in Poloniam peractis studiis litterarum, & tradenda theologia, scribendis libris, habendis concionibus, Sociis regendis, utilem patriæ operam navavit. Posnaniensis collegii quasi parens, rectorque primus fuit; ac multa præclare hac in urbe pro catholica religione gessit. Stephani regis rogatu profectus in Transilvaniam, primus collegio Claudiopolitano præfuit: Sigismundi Principis adolescentiam deinde rexit, ac Societatem in hac regione, difficillimis temporibus, & exultantem & restitutam, sapientissimè gubernavit. Admirabile est quàm multa inter istas gravissimas occupationes, quàm eleganter & eruditè scripserit. Primus nostrorum lingua vernacula, quam egregiè callebat, librum edidit, quo Confessionem Sendomiriensis à Calvinistis vulgatam refellebat. In eundem Polonicum sermonem convertere sacra Biblia, Gregorio XIII. imperante, aggressus, Cracoviam, ut opus perpoliret, secessit: cui & immortalis est. Psalmos Davidicos ad pœnitentiam pertinentes meditabatur, dum valetudo & vita suppetebat, vim lacrymarum profundens: eisdem æger, confecto jam propè vitæ spatio, prælegi voluit sibi, D. Augustini exemplo. Postremam noctem orans, obtutu in Christi morientis effigiem continenter defixo, transegit.

P. Petri Canisii virtutem egregiam, & præclara in Catholicam Ecclesiam merita atas nulla obliviscetur. Hic ille est *Hæreticorum malleus*, ut à Cardinali Hosio vocatur: *Venerandus vir, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias*, ut appellatur à Cardinali Baronio: Germaniæ clarissimum lumen, ut alii passim scriptores \* eum nuncupant. Patria illi Neomagus, sive Noviomagus, Gueldriæ in Belgio civitas: natalis annus millesimus quingentesimus vigesimus primus; is ipse quo S. Ignatius, Societatis auctor, in arce Pompelonensi, fortunato vulnere, prostratus est. Non erit, opinor, alienum hujus operis instituto, & nostra brevitate, tantum virum in una eademque veluti tabella integrum exhibere, cujus vitæ ac virtutum partes aliquot seorsum fuerunt in editis superiorum annorum libris propozita. Coloniam puer litterarum causa profectus, Nicolai Eschii, optimi sacerdotis, doctrina & pietate plurimum profecit: utque virtutem contra rerum caducarum atatisque illecebras muniret, votum perpetuæ castitatis, annum ingressus undevicesimum edidit; jam tum sola, ubi Deum oraret, captans loca; & horrentem fetis tunicam corpori tenero admovens. Jus deinde Cæsareum Coloniam, Pontificium Lovanii perdidit: instituitque inter familiares, & è loco interdum superiore, insectari hæresim ac vincere. Id commodius ut faceret, religiosam Societatis Jesu familiam, nuperrimè à Paulo III. confirmatam, Carthusianæ, cujus tranquillitatem & sanctimoniam adamabat, prætulit: in eamque anno MDXLIII. VIII. Id. Maias annos natus XXIII. coopertus est Moguntiam, quod illum exciverat fama P. Petri Fabri, & Spiritualium Exercitiorum, quibus plurimos ad colendam impensius pietatem accendi audierat. His meditationibus ad studium vitæ perfectioris incitatus, tirocinium posuit Coloniam: magistro eodem P. Petro Fabro: sed is cum in Lusitaniam proficisci a S. Ignatio jussus fuisset, ejus locum Canisius, post absolutam theologiam sacerdotio initiatus\*, & gerendis rebus jam maturus, implevit. Ad populum verba sæpe de divinis rebus faciebat; Divi Pauli epistolâs in communi theologorum gymnasio, Evangelia in collegio Montano explanabat: simul S. Cyrilli Alexandrini, ac Leonis Magni opera unum in corpus colligebat, recognoscebat, & curabat edenda. Sed eum à privatis studiis publica religionis causa paulisper abduxit.

Colonienfis Archiepiscopus Hermannus à Weda, deceptus ab hostibus religionis

§.XXVIII.  
P. PETRUS CANISIUS.

\* Vide Bibliot.  
Script. Societ.

\* An. 1545.

34.  
Legatione fun-  
gitur apud Ca-  
sarem & Leodi-  
ensem Episcopum  
interest Concilio  
Tridentino.

ligionis specioso reformationis & purioris Evangelii nomine, Bucerum Argentorato evocatum, Melancthonem, Pistorium, aliosque novae doctrinae magistros Coloniam induxerat. Ovile catholicum laniare palam coeperant lupi ovium pelle cecti, & ab ipsomet acciti pastore. Ad infandam novitatis nomen infremuit egergie catholica civitas. Clerus, academia, cum populo proceres ad propulsum pestem conspirarunt. Canisius cum Sociis nec voci nec diligentiae privatum & publicè pepercit. Pulsi domo, in qua collegii fundamenta jaciebant, probris & calumniis appetiti, nihilominus in statione praesidioque propugnanda veritatis perstiterunt. Interim, dum remedia surgenti malo quaeruntur, placuit implorare, legatione missa, opem tum Imperatoris Caroli V. qui Protestantium audaciam armis felicibus perdomabat; tum Leodiensis Episcopi Georgii Austriaci, qui primus Colonienfis Archiepiscopi suffraganeus, & Maximiliani I. filius, causam religionis libenter amplecti debere, ac tueri facile posse merito credebarur. Gemina tanti ponderis legatio communibus cleri & academiae suffragiis Canisio delata fuit. Auditus benignè ab Episcopo & Casare, Coloniam victor est reversus: nec ita multo post infelix Hermannus, Pontificis Romani sententia, percussus anathemate, mox Archiepiscopi & Electoris dignitate spoliatus est; susfesto in ejus locum Adolfo Schavemburgio. Latos re bene gesta Colonienfes gravis incescit metus ne Canisium amitterent. Dum enim ad Casarem pergit, Othonem Truchesium, Cardinalem Augustanum, Vormaciae Ulmaeque convenit ex itinere. Qui sapientiam viri & eruditionem admiratus, illum in amplissimum Concilii Tridentini theatrum producere statuit, licet annos sex duntaxat & viginti natum; sociumque addere P. Claudio Jajo, quem jam Tridentum miserat theologi sui nomine insignitum. Frustra Colonienfes egerunt apud Cardinalem, frustra apud Ignatium ut ne ipsis Canisius eriperetur. Perseveravit in sententia, probante Ignatio, Cardinalis, & publicum Ecclesiae totius in Concilio bonum, unius civitatis aut dioeceseos utilitati praefendum esse duxit. Neque diu tamen Tridenti mansit Canisius, translato paucis post diebus Bononiam Concilio. Huc profectus cum aliis è Societate, qui Tridenti erant, theologis, expectationem Augustani Cardinalis & Ignatii egregiè sustinuit, tum sententia inter Patres dicendam, tum complectendis politiore stilo quaecumque tractata de sacramentis, & per PP. Lainium ac Salmeronem, jussu Cardinalium Concilii praesidium, collecta, in ordinemque digesta fuerant. Cum vero Concilium propter exortas in Italia, casu Placentiae Duce, turbas intermissum fuisset, evocatus est Romam Canisius à S. Ignatio: qui dulcissimum filium & carissimum sodalem, jam virtutis famam notum, amantissime complexus, illum domi totos quinque menses habuit, & Apostolicum viri à Superis ad tutandam in Germania religionem destinati spiritum omnibus interioris pietatis exercitationibus excoluit; ac potissimum studio humilitatis & obedientiae, quibus maximè virtutibus magnorum operum fundamenta nituntur. Et utriusque oblata per id tempus occasio commodum est. Joannes Vega, Siciliae Prorex, primum Societatis in ea insula collegium conditurus, litterarum magistros à B. Patre postulavit. Inter duodecim Socios ad hanc expeditionem delectos numeratus est Canisius, eique data provincia ut artem dicendi Messanae pueris traderet. Accepit humile in speciem munus insigni animi demissione, & eadem sedulitate gessit, quae Theologiae arcana in Orbis Christiani Tridentino confessu explicuerat. Quin, votum addidit in peculiari exaratum syngrapha, quae in tabulario Romanae Professorum domus adhuc exstat: Sanctè, inquit, ac sine ulla exceptione voveo nunquam me commodi mei studio curaturum ut mihi muneris quidpiam & occupationis imponatur, aut certus ad habitandum locus assignetur. Curam hanc jusque de me statuendi tam quoad animi, quam corporis gubernationem, omnino permitto Patri meo in Christo ac Praeposito Generali Ignatio, cujus arbitrio judicium meum ac voluntatem plenè subijcio, humiliter offero, fidenterque committo in Jesu Christo Domino nostro. MDXLVIII. Nonis Februar. Mea manu scripsi Petrus Canisius Neomagenfis.

Dum sic, sui & rerum suarum securus, in pulvere litterarii ludi sudat, illustriorem illi campum Numinis Providentia paravit. Guillelmus Bavariae Dux omnes

nes in suam regionem aditus hæresi frustra conatus intercludere, cernebat illam irrepsisse in academiam Ingolstadiensem, atque inde virus derivatum in civitatem universam. Petiit ab Ignatio professores litterarum, per quos academia restitui pristinum in splendorem & integritatem posset. B. Pater in omnem amplificandam ac tuendam religionis occasionem intentus, tres doctissimos è Societate viros continuo submisit Jaium, Salmeronem, & Canisium; qui statim docere aggressi obductas ab errore tenebras dispulerunt. Canisius solitis theologicæ scholæ exercitationibus conciones Germanicas addidit, tam frequenti omnium ordinum concursu, nullum ut templum capiendæ multitudini par esset; nec minore fructu, quippe cum cernerent concionatorem è suggestu in carceres, in nosocomia, in pauperum domos descendere. Ita enim fit, ut is optimè doceat qui exemplo simul & verbo docet. Creditur universa civitas majorem ex homine sibi, ut loquebatur, divinitus dato utilitatem capi posse, si ad tantam eruditionem & virtutem auctoritas ac titulus insignis accederet. Igitur Academiae rector, quantumvis reluctans & invitus, creatur. Non sefellit ipem civitatis. Ac primo quidem libros hæreticorum, & quoscumque reperit corrupendis pueritiæ moribus opportunos, ab omnibus gymnasiorum scholis, etiam infimis removit, quorum in locum idoneos ad insinuandam cum litteris doctrinam catholicam substituit. Deinde jurgia, & cruentas interdum academicorum inter se dimicationes, ludos intempestivos, atque alia, quibus adolescentes studiosi depravantur, vitiorum irritamenta sustulit. Quæ vero visa sunt altiores egisse radices, quàm ut subito & leniter exstirpari possent, ea collegit in commentarium, negotiumque dedit academiæ primoribus, quorum partes erant communi scholarum utilitati consulere, ut rationes ad ea paulatim emendanda maximè appositae disquirent. Sic noxam officii remissius gesti, & invidiam severius administrati, fugit. Non dubitavit etiam nonnullos, exempli deterioris, exilio & pœnis gravioribus coercere. Quia porro pietatem teneris mentibus arte potius & ratione, quàm vi instillandam haud ignorabat; præter ordinarias & publicas theologiæ exercitationes, quotidie privatam intra domesticos parietes aperiebat scholam; ubi occasione data, commodius ac familiariter auditores ad virtutem erudiret. Instituit etiam ut ipsimet adolescentes de virtute quapiam declamando differerent: quæ exercitatio & ipsis dicentibus necessitatem afferebat illius virtutis cognoscendæ, & magistro præbebat locum idonea monita suggerendi. Ad hæc stipem luculentam collegit, qua ingeniosi & litteris dediti juvenes, sed quibus res angusta domi aut nulla erat, alerentur: id providens ut ex eo grege, populorum pastores aliquando sumerentur, quorum paucitate multis in locis laborabatur.

Ad vulgi mores emendandos inde transgressus, primùm animos demereri studuit officiis omnibus Christianæ caritatis; tum vitiosas consuetudines leniter exagitare, illarumque turpitudinem ac detrimenta ostendere. Inoleverat precandi tanta negligentia, ut prope puderet orantes in templo conspici. Demonstravit facilitatem precationis, emolumenta, dotes, ac necessitatem. Utque recederet, quod verbo tradiderat, auditores rogavit ut una secum orarent, & flexis genibus prævixit. Apposuit quoque stans diebus & horis adolescentes, qui palam in templo ac modestè precantes consisterent; ut isto exemplo vitiosus pudor frangeretur. Magnum in contemptum res divina pariter venerat: oscitans & aliud agens multitudo intererat sacrosanctis mysteriis: plerique hostia cœlesti ad adorandum sublata, dilabebantur. Docuit quanta Christiani sacrificii dignitas & vis esset, gravemque incussit violatæ religionis metum; adeo ut omnes pie ac reverenter deinceps ad finem usque perstarent. Sic prudentia, vigore, ac lenitate, pristinum religionis decus Ingolstadii restituit: nec minorem integritatis & abstinentiæ laudem tulit, cum numerari consuetam rectoribus, magistratu abeuntibus, pecuniam omnino repudiavit. Non segnis oblatum Procancellarii per eos dies demortui locum recusavit. Præcipuum hæc dignitas splendorem, nec modicos fructus habet; tum quòd est perpetua, tum propter opima stipendia, & adjunctum illi locupletem canonicatum. Hæc omnia eo diligentius recusavit Christi discipulus & imitator, quo erant magis ampla & quæstiosa. Laudavit

35.  
Renunciatus  
Ingolstadiensis  
Academiæ rector  
illam optimis  
legibus tempe-  
rat.

Ignatius, neque ullis academiæ precibus, aut litteris, quas Albertus Bavarie Dux, Guillelmo parenti nuper extincto successus, gravissimas ad eum dederat, adduci potuit ut munus hoc deferri Canisio pateretur. Id solum annuit, ut ad tres quatuorve menses, si necesse foret, citra honorum insignia & stipendia, partes istas & locum impleret.

36.  
Viennam arces-  
situr. Episcopatu  
sæpius recusat.

Restitutæ Ingolstadii pristinum in decus academiæ ac religionis fama Germaniam pervasit. Expetitus est certatim Canisius à variis civitatibus, ut eandem ipsi operam navaret. Illum Julius Phlugius, Episcopus Naumburgensis; illum Canonici Argentoratenses revocati suam in urbem, unde à Lutheranis olim pulsi fuerant, ad se crebris litteris invitabant. Eundem Episcopi Frisingensis & Aichstadiensis ad Concilium, Tridenti redintegratum, nomine suo mittere conabantur. Sed Alberto Bavarie Duci certum erat Canisium usque retinere Ingolstadii. Cedere tamen coactus tandem est socero suo Ferdinando, Romanorum Regi, qui Summi Pontificis & ipsius Ignatii auctoritate mandatisque fretus, Canisium recenti, quod Viennæ fundabat, collegio non tam dari, quam ad paucos menses commodari postulabat. Cessit ea lege Albertus, & Canisius Viennam, ornatus amplissimo & honorificentissimo Ingolstadiensis Academiæ testimonio, se contulit in eunte Martio anni MDLII. Austriam offendit hæretica lue vehementer depravata. Clerum, cœnobita, scholas infecerat, vix ut vigesimus quisque sanus integerque reperiretur. Oppida pleraque destituta pastoribus, aut à mercenariis & flagitiosis occupata; neglecta vel despecta mysteriorum dignitas; obliterati ritus & carimonie sanctissimæ. Ingemuit tot cladibus. Ac primo quidem à Superi veniam & opem exposcendam ratus, nec suis nec amicorum precibus peperit. Prasertim vero exoravit à Fundatore Societatis ut pro regionibus septentrionalibus, & omnibus hæreseos labe infectis, cuncti sacerdotes Societatis in perpetuum semel singulis mensibus sacrificium offerrent. Satis Canisio non fuit ingemiscere ac precari, remedia malo propiora quaesivit. Datus fuerat novitati perstiterat aditus nimia facilitate promovendi doctores ad litterarios gradus, effecere studuit ut major in iis examinandis adhiberetur severitas; major *delectus* in admittendis ad publicè docendum professoribus. Ut vero, suppeteret hominum eruditorum ac proborum copia, qui doctrinæ integritatem in scholis, & morum probitatem in populo tueri possent, instituendum curavit Seminarium, in quo selecti adolescentes ad omnia litterarum & pietatis officia formarentur. Parum est agrum optimo frumento conferere, nisi evellas zizania. Contulit cum hæreseos patronis manus, & alios fugere, alios silere, alios recantatis erroribus respicere coegit. Et quoniam doctrinæ pravitas corruptis moribus facillimè adhaerescit, in eam præcipuè curam incubuit crebris concionibus, ut populi mores repurgaret. Nulla flagitia, quamvis inveterata, & velut civitatis publico donata jure, dicentis impetum sustinebant: quodque raro usuvenit, proceribus aequè ac populo grata dicendi libertas erat. Itaque cum Fridericus Nausea, Viennensis Episcopus, & aulae concionator, obiisset, ejus locum implere Canisius, postulante Ferdinando, coactus est, & aulicas habere conciones. At vero perpelli nunquam potuit ut Viennensem pariter Episcopatum acciperet, quem idem Ferdinandus semel, iterum, tertio reluctanti obtulit; quem per se, suosque apud Summum Pontificem oratores, scriptis etiam ad Ignatium acerrimis litteris, imponere illi frustra pugnavit. Tam secunda, tamque consentiens aulae & urbis approbatio virum Apostolicum Viennæ non detinuit, ubi famam suam & sacrae fructibus eloquentiæ placidè frueretur: excurrit in rusticanos late pagos, & parœcias pastoribus orbatas docendo, concionando, sacramenta ministrando, peragravit. Sed, quod incredibile videatur, inter tot occupationes otium etiam scribendi fuit, & uno in libro non Germaniam tantum, sed Orbem universum docendi.

37.  
Componit sum-  
mam doctrinæ  
Christiana.

Errorum per omnes Septentrionis provincias non alia magis arte proleminatum videbat, quam spargendis libellis, per quos venenum auribus ætatis præsertim teneræ instillabatur. Antidotum opposuit, summam videlicet catholice doctrinæ, quinque partibus comprehensam. Ferdinandi jussu per omnem Germaniam sparsus est libellus, & in scholis explicari coeptus. Idem ubique catholicorum

corum omnium unanimi consensu laudatus, & in omnes conversus linguas, amplius quadringentis typographico subjectus prelo fuit. Eundem Philippus II. Hispaniæ Rex in omnibus suis regnis unum, ad explicandam juventuti catholicam doctrinam, adhiberi jussit, theologorum quos consuluerat, ac præsertim Lovanien- sium, auctoritate ductus, qui ore uno responderant nullum eo reperiri utilio- rem tum ad illustrandas mentes veritate doctrinæ, tum ad voluntates suavi solidaque pietate imbuendas. Eo perlecto plerique præstigias & fucum hæreseos detexerunt, negabatque Wolfgangus Wilhelmus, Dux Neoburgensis, qui semel hunc legisset hæreticum esse quemquam usquam posse. Ita expertus ipse testabatur. Prodierrat initio contractior liber, indicatis duntaxat in margine locis sacrae scri- pturæ, ac SS. Patrum testimoniis, quibus catholicum dogma confirmabatur. Sed iis postea copiosè prolixèque appositis, opus magnam in molem excrevit, ac proborum omnium & eruditorum judicio laudibusque ornatum est, palam faten- tium vix ullum Christianæ rei fructuosus aliquando exiisse. Nec minus com- mendationis illi accessit ab hæreticorum conviciis & satyris, quibus haud obscurè declarant, quam mortiferum & insanabile ab eo vulnus acceperint.

Tanti momenti ac tantæ frugis liber, insignem auctori suo famam concilia- vit. Canisium & Societatem certatim expetivere Transilvania, Hungaria, Silesia & Polonia. Suam tamen Bohemiam ceteris merito præferendam Ferdinandus pu- tavit, in qua collegium Societatis ponere decreverat. Huc profectus Canisius cum lecta Sociorum manu, collegii Pragensis fundamenta jecit tanto firmiora, quan- to acriores Hussitarum, Wicleffitarum, & Lutheranorum conatus exarserant ad ea disturbanda. Eò furor improborum evasit non probris duntaxat, sed lapidi- bus palam jactandis, & intentandis ignibus, ut Canisii salus munienda militum excubiis fuerit. Necessariæ diu non fuerunt. Impias manus lenitas ejus ac pa- tientia exarmavit, & à S. Ignatio primus Germaniæ Provincialis creatus, manum ultimam collegio Pragensi, ac paulo post Ingolstadtensi feliciter imposuit. Vix parumper in Bavaria quieverat, cum à Ferdinando revocatur ad conventum Ra- tisonensem, quò proceres Germaniæ convenerant ad componendas religionis turbas. Placebat hæc Protestantibus via ut Vormatiam delecti ex utraque parte doctores concurrerent: & eò Ferdinandus inclinabat, Lutheranis Principibus ob- luctari timens, quorum opera & armis ad bellum Turcicum indigebat. Dissensit Apostolica libertate Canisius, & quàm parum emolumentum oriatur ab istis collo- quiis, quantum imminet periculi, demonstravit. Coactus est nihilominus, Sum- mi Pontificis & moderatorum suorum nutu, illuc proficisci. At, donec destinatus colloquio dies adventaret, Romam excurrit ut interesset Congregationi primæ Generali, quæ Ignatio pridie Kal. Sextiles anni MDLVI. extincto successorem, datura erat. Verum hæc in annum MDLVIII. graves ob causas dilata fuit. Ergo repetens Germaniam, & obiter admissis Monachiensi collegio, Vormatiam est in- gressus. Initium colloquio factum pridie Id. Septemb. MDLVII. Primum om- nium auctor fuit Canisius cum reliquis catholicis, ut ea tantum capita vocarentur in controversiam, quæ consentanea forent Augustanæ Confessioni, cujus defen- soribus, non item aliis aliarum sectarum alumnis, facta erat disputandi copia. Hoc planè pomum Discordiæ fuit, quod inter Protestantes conjectum illos inter se se pugnantibus sententiis collisit; dum pars una standum prorsus Augustanæ Confessione censet; altera dissidentes ab ea opiniones defendit, seque à reliquis segregat. Relicti septem Augustanæ Confessionis tenaces, è duodecim qui con- venerant, cum se catholicis, numero & opinionum consensione validioribus, im- pares cernerent, colloquium abruptum est; magna sanioris doctrine commenda- tione, cujus ut una veritas, ita vox & mens una semper est: nec nullâ Canisii gloria, de quo id constabat inter omnes, neminem in eo congressu plura scri- pisse, recitasse, opposuisse. Ulti sunt adversarii dolorem suum fingendis fabu- lis, fabricandis calumniis, quæ tela retudit ferendo & spernendo: imo de illis quam potuit optimè merendo, Argentorati, quò illum Episcopus, & Clerus re- petitis litteris arcessiverant, Selestadtii, Colmaræ, Brisfaci, Friburgi Brisigaviæ, & in aliis Alsatia superioris urbibus, quas *pertransiit bene faciendo & sanando ubi-*

38.  
Colligia Pra-  
genfe, Ingolsta-  
diense & Mona-  
chiense confli-  
tuit. Interest col-  
loquio Worma-  
tienti.

que tristia religionis vulnera. Cum ea tamen in dies ingravescerent, quaestae sunt variis in locis idonea, quibus curari maturè ac citra tumultum possent, remedia: praesertim Petricoviae in Polonia, & Augusta Vindelicorum in Germania. Hæc privata colloquia læstabantur novitatis architecti, lucem publici & Occumenici Concilii fugientes, in iisque vulgo recentem aliquam religioni plagam imponebant. Id metuens Pontifex Nuncium Apostolicum destinavit in Poloniam, cum duobus è Societate theologis, quorum unum esse Canisium nominatim voluit. Roma discedens, ubi cum Patribus congregatis Lainium Generalem Praepositum renunciaverat\*, Cracoviam Idibus Octobris anni MDLVIII. attingit; Polonosque omnes ita sibi & Societati devinxit, ut ipsi meritò tribuantur quaecumque postea sunt in amplissimo regno per Societatem bene utiliterque gesta, & Societati liberaliter ac magnificè data.

\* Die 2. Julii  
1558.

39.

Petricoviae in  
Polonia, & Au-  
gusta in Germa-  
nia, causam reli-  
gionis egregiè  
defendit.

Addebant animos satellitibus erroris indulgentia segnitieque Regis funestam pestem compescere negligentis, multitudo procerum novitatis faventium, praesulum partim senectus; partim, ut in re desperata, languor. Non despondit animum Canisius: sed precibus primùm & suis & amicorum conciliare Numen institit: deinde praesules ac sacerdotes ad rem strenuè gerendam excitare: tum voce, scripto, privatim ac publicè, detrahere fucum errori, metum probis demere, molitiones improborum dissolvere: denique Sigismundum Regem eo perducere ut nihil attentari sit passus contra Episcoporum jura, nihil in perniciem religionis immutari. Tanto majorem lætitiâ Pontifici Maximo successus hic attulit, quanto minus sperabatur. Periculi plus Augustae Vindelicorum erat, neque plus admodum spei. Sratim huc provolvit\* Canisius, instante Cardinali Augustano, urgente Ferdinando Casare. Ad ejus conspectum hostes religionis conclamant undique ad arma solita, calumnias, probra & convicia. Opponit catholicus doctor Christianam mansuetudinem, & fortiora veritatis arma, quibus non solum rectus ipse fuit, verum etiam præter multos agminis infesti manipulares, primipilum centurionem, Stephanum Agricolam, multarum antea palmarum ducem profligavit, & ad bonas partes transtulit. Plus illi negotii (quis credat?) cum catholicis ipsis fuit. Discordes in causa religionis hæretici, consentiebant ad oppugnandam Ecclesiam: at inter catholicos, licet omnino concordēs in religionis & Ecclesiae causa, tamen illi ipsi, penes quos summa rerum potestas erat, Paulus IV. & Ferdinandus Casar dissidebant, alienatione quadam voluntatum & privatis offensionibus divulsi. Casarem Canisius ad concordiam & pacem flexit: utque Pontifex placaretur egit per Patres qui Romæ versabantur. Quo sublato feliciter obice, consentientibusque ad retinendam veteris doctrinæ possessionem praesulibus, quos ad eam rem verbis, lucubrationibus, omni obtestatione Canisius accenderat, conventus Augustanus exitum opinione multo commodiorem habuit. Non contentus Dei famulus praesentem Ecclesiae laboranti operam attulisse in hoc Augustano coetu, eidem in posterum tutandæ muniendaeque opportuna praesidia comparavit: cum auctor fuit antistitibus ut publicas, in suisque diocesi, gratuitasque fundarent scholas, ut frequentes convocarent synodos, ut Seminaria formandis ad Ecclesiastica munia idoneis adolescentibus conderent. Persuasum quippe habebat Ecclesiae renovandæ fabricam ab ipsis fundamentis, hoc est, ab instituenda bonis artibus & moribus juventute inchoandam esse. Cum vero cerneret Augustae plurimos optimæ spei juvenes à studio litterarum inopia domestica retardari, ac per istam occasionem & liberalitatem insidiosam, ad hæreticorum partes facillimè traduci, domicilium illis & necessaria prosequendis commodè studiis subsidia quaesivit. Non cessabat interim urbem divini verbi pabulo reficere, & à pestilentibus novæ doctrinæ pascuis abducere, idque tam efficaci, tam suavi facundia, ut Cardinalis Augustanus, Canonici, civitas universa illum perpetuum habere concionatorem optaverint, & à Praeposito demum Societatis impetraverint; vixque passi fuerint abesse paucis mensibus, ut Stanislaum Hosium, Varmiensis Episcopum, sacra proximè donatarum purpura, & à Pontifice missum ad Casarem, Viennam usque comitaretur\*.

\* An. 1559.

cur\*. Reversus Augustam, ubi castra quædam Error posuerat, illum continuo munimentis dejicere aggressus est. Et quoniam Dei verbum, tanquam vallum inexpugnabile objiciebat, quo defensus tela Veritatis à se infringi, aut eludi gloriabatur; Canisius de verbo Dei disputans, certas, quo falsum & adulteratum à vero & genuino dignosceretur, ostendit notas, ac docuit nequaquam Dei verbum esse, quod ex impuris Lutheri lacunis hauriebatur, quodque multi tam falso, quàm ambitiosè venditabant. Ad catholicos vero sæpiùs de supremo judicio & peccatorum pœnis differebat, ut salutari concussa metu pectora è veterno vitiatorum excitaret. Confluebant ad eum audiendum ex ultima Germania, palamque fatebantur neminem ardori dicentis, & docentis robori posse resistere. Jam, ut orandi usum aleret, quo fonte ceteræ virtutes velut rigantur; collegit unum in libellum selectas precandi formulas, & *Enchiridion Catholicorum* inscripsit: placuitque tantopere Cæsari opusculum, ut subjici rursus prelo, ac longè latèque vulgari jussisset. Addidit Canisius ornatissimas D. Hieronymi epistolas, ut in iis Christianam eloquentiam pari conjunctam pietate, juvenis studiosa condisceret. Alios ipse libros de controversiis Fidei capitibus scripsit, & scriptos ab aliis edidit. His præfidiis munita religio extulit caput, hæresis debilitata jacuit: mutata brevi Augustæ facies, reddita templis frequentia, veneratio mysteriis sanctissimis, æquitas contractibus mercatorum, vetus disciplina cœnobiis: ereptus error quamplurimis proceribus, ac præsertim duabus feminis nobilibus ex illustrissima Fuggerorum gente, cujus exemplis nihil minus publica pietas, quam liberalitati & munificentia Societas nostra debere se profitetur. Hæc miracula cœlestis gratiæ Romam perlata singulari voluptate Urbem affecerunt. Ipse Pius IV. Canisium multis laudibus in frequenti Patrum Purpuratorum cœtu profecutus, ad eundem honorificentissimas litteras tertio Nonas Martii anni MDLXI. dedit, & ad peragendum *in opere tam sancto* magnopere hortatus est.

Quamvis autem ejus opera videretur Augustæ necessaria, & ad eum retinendum Cardinalis Augustanus, Canonici, tota civitas summa ope niterentur; utiliorem nihilominus futuram Concilio Tridentino, quod Pii IV. cura instaurabatur, judicarunt idem Pontifex, Ferdinandus Cæsar, Cardinalis Hofius, aliique legati Pontificii, tum propter insignem ejus doctrinam, tum propter usum & notitiam Germanicarum rerum; nemo ut esset, ex quo liceret certius investas ab hæresi clades, & earum remedia, cognoscere. Optatissimus Tridentinis Patribus fuit adventus Canisii: Cardinali vero Stanislao Hofio non tantum jucundus, propter veterem amicitiam, qua cum illo pridem conjunctus erat, sed etiam salutaris. Cum enim oppressus gravi morbo teneretur, amici conspectu complexuque derepente convaluit. Præter occupationes continuas respondendi consulentibus, dicendæ inter theologos sententiæ, explicandi confirmandique abditissima religionis mysteria; tum vero gravissima in re, ex qua non levis perturbatio timebatur, tranquillitati Concilii, & Sedis Apostolicæ dignitati plurimum consuluit. Instabant Cæsaris administri ut proponerentur Patribus capita quædam invidiosa, & parum consentanea libertati Concilii, ac Pontificis auctoritati\*. Ea priusquam ad Concilium dijudicanda referrentur, censuerat Cæsar examinanda esse in privato theologorum confesso, quos idcirco Oenipontem convocaverat\*. Haud temere creditum est; inquit Commendonus, divinæ providentiæ singulari beneficio contigisse, ut Canisius adesset hoc in cœtu, vir spectatæ probitatis & doctrinæ, ac notæ in tuenda auctoritate Pontificia constantiæ. Addit Gratianus, Commendono ab epistolis, conatos esse doctores aliquos Canisium, quem ait sanctitatis opinione non vulgaris floruisse, in suam perducere sententiam: at illum semper iis obstitisse pari modestia, & fortitudine. Neque vero satis habuit veritatis & justitiæ causam in privato confesso defendere, eandem egit apud Cæsarem, qui ejus potissimum oratione permotus urgere negotium destitit. Quod ubi Pontifex cognovit è litteris Cardinalis Moroni, Canisium de Romana Sede optime hoc facti meritum palam prædicavit, & arcessitum confestim S. Franciscum Borgiam, Societatis post obitum Lainii Vicarium Generalem,

\* Anno 1560.

40.  
Rursum interest Concilio Tridentino, & Comitibus Augustanis.

\* Pallavicin. Lib. XX. c. 4. Sachinus Par. II. Lib. VII. nu. 44.

\* Anno 1563.

ralem, amantissimè complexus, illi quæ gesta prudenter & fortiter à Canisio fuerant singillatim edisseruit.

Aliam haud minus utilem eidem Concilio Tridentino navavit operam anno MDLXV. Accesserat operi tanto manus ultima, Concilium denique absolutum erat, summa totius Orbis Christiani gratulatione. Angebat interim Pontificem cura, quemadmodum deferretur ad Germaniæ Principes, & in mores induceretur. Circumspicienti anxie cuius hanc provinciam demandaret, unus omnium ad eam rem maximè idoneus occurrit Canisius, cuius auctoritas ibi præcipua, & cognita diu cum eruditione virtus. Ergo Nuntii Pontificii nomine ornatum proficisci statim jubet. Nihil cunctatus, & religiosâ modestiâ, quam in hoc munere sine dignitatis insignibus & ambizioso apparatu retinebat, spectandus; atque adeo ad persuadendum efficacior, adiit Imperii dynastas, & ad Synodum promulgandam ac morem ejus decretis gerendum induxit. Simul iis vias suggestit, quas ad amplificandam tutandamque religionem censebat aptissimas: neque ipse cessavit toto, quàm longum fuit, itinere hoc ipsum agere strenuè, etiam inter Principes hæresi deditos, & religionis causam crebris concionibus, aliisque artibus Apostolicæ caritati usitatis promovere. Quas inter illud sapienter animadvertit, & ad Romanam perscripsit curiam, providendum esse ut Episcopis, quorum regio finitima esset hæreticis, darentur etiamnum vivis adjutores, & successores designarentur, ne post illorum excessum lupi pro pastoribus in ovile Domini intruderentur. Colonienfis vero Senatus, cum diploma Pontificium de manu Canisii acciperet, eodem suggestente sanxit præter cetera, ne quis ad docendum admitteretur cujus suspecti mores aut religio forent; ne libri abhorrentes à doctrinâ catholica vulgarentur; ne quis Lutheranum, aut Calvinistam, aut alienæ cuiuslibet sectæ ministrum hospitio exciperet. Academia pariter, oblatum sibi exemplar Concilii Tridentini amplexa, edixit ne quis in posterum nomine doctoris & insignibus ornaretur, quin prius è concepta formula professionem catholice religionis ederet. Hoc ipsum in academia Dilingana faciendum Canisius anno MDLXIII. curaverat, cum hanc Otho Truchsesius, Cardinalis Augustanus, in ejus potissimum gratiam, Societati donavisset: idque Pontificio confirmatum decreto ad alias Orbis Christiani academias manavit.

Perfunctus imposto sibi munere Canisius secundum sua & Pii IV. vota, paulum interquiescere cogitabat, cum ad conventum Augustanum anno MDLXVI. indictum, remittitur à Pio V. in locum Pii IV. subrogato. Difficiles in angustiis adducta res catholica erat, propter Lutheranorum pertinaciam, qui necessaria bello Turcico ( ea causa cogendi conventus fuerat ) subsidia conferre omnino recusabant, nisi multa sibi concederentur à religionis rationibus aliena. Eo diligentius enitendum fuit Canisio, & PP. Natali ac Ledesma, quos Pontifex Legato suo Cardinali Commendono adjunxerat, ut procellam impendentem averterent. Resistendum Protestantibus, qui omnia sibi arrogabant; inhibendus catholicorum ardor, qui nihil sibi derogari patiebantur; consulendum Cæsari, qui utriusque indigens, neutris tamen satisfacere poterat. Commendonus, communicato cum Patribus consilio, persuasit standum esse pacis conventis ante annos undecim, \* compositis: ita nihil hæreticis concedebatur, nihil detrahebatur catholicis. Vixit ea demum sententia. Ommissa causa religionis, quæ plurimum lucri, ut in tanto periculo, faciebat, si nihil perderet; probatum & receptum à catholicis publica comitiorum auctoritate Concilium Tridentinum; promissa belli subsidia, sedata tempestas est. Nihilominus Cæsar de Patribus graviter cum Legato expostulavit, ac præsertim de Canisio, quem in severioribus consiliiis nimis obfirmatum dicebat esse, nec satis intelligere quid rerum status præsentium ferret. Commendonus contra Maximiliano affirmare non dubitavit, quidquid à catholicis bene ac feliciter gestum erat, id præcipue tribus istis Societatis hominibus, ac potissimum Canisio deberi, à quibus ea profecta, & verbis scriptisque defensa fuerat sententia, quæ negotium impeditissimum expedire sola potuerat. Quod cum Cæsari certis argumentis confirmasset, illum Patribus omnino conciliavit.

Solutus gravissima cura & metu Canisius commissas sibi Societatis in Germania

\* Anno 1555.

mania provincias lustravit; collegia certatim à viris Principibus oblata constituit, alia jam constituta necessariis præfidiis munivit; sacrum ubique pietatis ignem, quo flagrabat, accendit: nusquam inter hæc studio firmanda & propaganda religionis intermisso, quo nihil habebat antiquius. Hoc inflammatus procurrat in Sueviam, & Comitem Uldaricum Helfestainum Ecclesiæ redonavit cum universo, qui ejus in ditione ac potestate erat, populo, pulsus per quos error disseminabatur, sex hæreseos ministris. Inde in Franconiam progressus\*, dum fundat collegium Herbipolitanum, cives sacris erudit concionibus; dedocet hæreticos explicatis capitibus doctrinæ controversis; pueris elementa Fidei, sacerdotibus præcepta morum & officii rectè administrandi, tradit. Mox Elvanganum repetens (nam hanc urbem ante aliquot annos excoluerat) jacta pridem femina perduxit ad maturitatem. Brevi tamen rediit Herbipolim\*, ut rumorem à Lutheranis late dissipatum refelleret. Affirmabant Canisium, cognita demum veritate, desertisque palam catholicis, ad Lutheri signa descivisse. Triumphabant impudentis mendacii artifices, probi omnes pudore ac metu defixi cohorrescebant. Venit, & conspectus auditusque de superiore loco, auctores ineptæ fabulæ ignominia silentioque damnavit.

Ampliores illos exagrandi, & vexandæ procacis ad quilibet fingendum audacia locum ipsi subministravit opus ingens, & novus labor illi à Summo Pontifice impositus. Conditi fuerant circa annum MDLX. à Magdeburgensibus ministris, quorum princeps Matthias Flacius Illyricus, Ecclesiastici quidam Annales, in centurias annorum distributi, Centuriæ Magdeburgenses idcirco nuncupati. Erant multorum in manibus propter satyricum salem, quo putida mendacia condiebantur. Huic veneno, ad historiæ corruptelam & perniciem animarum grassanti, antidotum quærens Pius V. provinciam Canisio dedit ut pestilentes Centurias refutaret. Primam refutationis partem emisit anno MDLXXI. quam ubi primum vidit Pontifex, multis ornavit laudibus, auctoremque fausta prece ac depromptis ex Ecclesiæ thesauro sacris opibus beavit. Doctissimus vero & prudentissimus Cardinalis, Annalium Ecclesiasticorum scriptor, celebrat in hac lubricatione vigilans studium Canisii, eruditissimi, inquit, ac maxime pii viri, in eoque nihil deesse affirmat ad Novatorum imperitiæ, dementia, ac perfidiæ redarguendos\*. Alteram partem edidit anno MDLXXVII. de qua Baronius idem singulari cum laude meminit: *His, lector, fruere* (inquit ad annum Christi IX.) *quæ venerandus P. Petrus Canisius, cujus est laus in Evangelio per omnes Ecclesias, non minus piè, quam ornate atque erudite suo more conscripsit. Mibi quidem, ait Cardinalis Hosius, tam exactè scripta videntur omnia, ut quid in hoc opere desiderari possit non videam.* Canisius tertiam inchoaverat partem: hujus absolvendæ spatium nunquam fuit. Tot negotia, tot itinera, tam diversæ occupationes à Summis Pontificibus, à Principibus viris, à Præpositis Generalibus Societatis in hunc hominem unum congregabantur; vix ut respirandi potestas, nedum scribendi otium esset. *Volo* (inquebat Gregorius XIII. cum ad Salisburgensem Episcopum, ad Bavariæ ducem, aliosque Principes Germaniæ illum mitteret) *desiderii mei Germaniam sublevandi adiutorem te esse, cum sciam quantum ad eam rem industria tua & sapientia valeat.* Confectis Gregorii mandatis, Romam ab eodem est evocatus, ad ineundam rationem stabiliendi Germanici in Urbe collegii. Hoc illi septimum Romam iter fuit. Rursum in Germaniam recurrit ad conventum Ratisbonensem. Inde Landeshutam à Guillelmo Principe, Bavariæ Ducis filio accitur\*. Mox à Præposito Generali Societatis jubetur conferre se ad Albertum Comitem Furstembergium. Haud ita multo post destinatur à Pontifice, Comes Episcopo Brixiensi, ad conventum Norimbergensem profecturo. Dilatus est iste conventus, non dilatus Canisii labor. Cum enim Basileensis, Constantiensis, itemque Laufannensis antistites Gregorium XIII. per idem tempus admonissent de summo periculo, in quo apud Helvetios catholicos religio quotidie versabatur: Pontifex pro rei gravitate sollicitus, negotium dederat suo in Germania Nuntio, Episcopo Vercellensi, ut catholicos Helvetiorum pagos diligenter lustraret, eosque à vicinorum contagione pestifera defenderet. Ille, omnibus per-

\* Anno 1567.

\* Anno 1568.

41.  
Refutat Centurias Magdeburgensium.

\* Ad an. Christi 31. us. 15.

\* Anno 1579.

perpenſis, renunciavit nihil præſtabilius fieri poſſe ad retinendam inter Helveticos integritatem Fidei ac pietatis, quam ſi Societatis collegium Friburgi poneretur. Placuit Pontifici conſilium, & ab eo ſtatim beneficium Eccleſiaſticum fundando collegio eſt attributum. Ad Jeſuitarum & collegii mentionem hoſtes religionis in Helvetia partim occulti, partim aperti fremere, jactare minas, Societatem probris & calumniis ubique deformare. Friburgenſes, quamvis apprimè catholici, tamen hac Societatis imagine tam fœda percuſi, eam recuſant admittere, neque ullis conditionibus induci poſſunt ut collegium in urbe ſua poni patiantur.

42.

Friburgum Helvetiorum venit, ibique piè moritur.

\* Anna 1580.

Nuntius hac abalienatione attonitus, unum putavit Caniſium parem animis Friburgenſium conciliandis, & vindicandæ ab impositis calumniis Societati. Venit \*, & virtutum ac vitæ innocentiffimæ, doctrinæque ſplendore offuſam oculis civium caliginem brevi diſcuſſit, omneſque ita ſibi deinceps demeruit, ut illum per annos ſeptem & decem, quandiu ſuperfuit, nunquam à ſe divelli paſſi fuerint, & ultimum in eorum veluti ſinu ſpiritum ediderit. Collegium ſumma civium voluntate conſtitutum, ejuſque curæ ac prudentiæ commiſſum eſt. Poſtquam illud probè ſtabilitum vidit, tunc à Præpoſito Generali Societatis enixè petiit ut ejus regimen alteri demandaretur, id potiſſimum ſpectans ut ab alieno penderet nutu, quod pulcherrimum atque ampliſſimum ſemper eſſe duxerat: civibus interim juvandis totum ſe devovit. Reſpondebat conſulentibus, verba de divinis rebus publicè faciebat, libros alendæ pietati firmandæque religioni utiles conſcribebat: oppida circumjecta pagosque obibat: Socios in provinciis & collegiis à ſe fundatis olim & gubernatis hortabatur per litteras, & ad religioſæ vitæ perfectionem excitabat. Poſtquam ſenem vox ad dicendum, valetudo ad agendum neceſſaria deſecit, tunc ad ſupremum iter ſe comparavit, tanquam portum è longa difficiliſque navigatione proſpiciens. Itaque preces amicorum impenſiùs corrogare, corpus jejunio & aliis pœnis ultrò ſuſceptis vexare acrius, nulla ratione habita imbecillæ valetudinis, ætatiſque annum ſextum & ſeptuageſimum, egreſſæ: nullum niſi de cœlo rebusque divinis ſermonem admittere; gratias ingentes agere divinæ bonitati ſummis in doloribus, quod alicujus cum Chriſto ſimilitudinis honore dignaretur: præſertim poſtquam hydrope manifeſto corpus intumuit, adeo ut neque ſtare poſſet, neque ſedere, neque in lecto collocari; imo ne attingi quidem aut moveri ſine cruciatu. Exactis inter hos dolores menſibus admodum quatuor, tandem undecimo Kalendas Januar. ſenſit abrumpi vinculum exile, quo in corporis cuſtodia tenebatur, id quod clarius quam antea indicavit: cupienſque *dilſolvi & eſſe cum Chriſto* ad eum migravit poſtridie, circa horam à meridie tertiam, anno MDXCVII. ætatis LXXVII. Audita ejus morte, lætus urbe tota & comploratio, ut in publica calamitate. Ubi vero concurrenti undique populo fuit expoſitus, erupit miſtus veneratione ac dolore planctus: pars defixis in carum caput oculis hæreſ; pars ruere ad figenda pedibus manibusque oſcula; plurimi roſaria corpori admovere, capillos & ungues deſecare, vix ut ſacris veſtibus, quibus indutum erat, audax pietas temperaverit: neque avelli potuerit à feretro, donec inter Cleri, Senatus, & procerum manus elatum funus eſt in primarium civitatis templum, ut ipſa rogaverat, reddendum tamen Societati, cum ædes ſacra major exſtructa collegio foret; quemadmodum anno MDCXXXVI. contigit. Laudatus eſt pro concione, additumque tumulo magnificum elogium, in quo Friburgenſes illum *patronum* appellant *ſuum, Eccleſiæ per Helvetiam Patriarcham, religionis catholicae ſui temporis columnam, toto Chriſtiano orbe notiſſimum* ob egregias virtutes, quas recensent obiter, & quas hic, velut flores tumulo, curſim inſpergemus. Illarum odorem ſuaviſſimum tota ejus vita ſpirat.

43.

Quædam ejus virtutes præcipuz.

\* *Pſalm.* 118.

Quis enim in tot laboribus, tot itineribus, tot negotiis, tot periculis, animarum cauſa ſuſceptis, incredibilem quandam ſalutis alienæ ſitim non agnoſcat? quæ Caniſii virtus præ ceteris enituit. In eum cadebat iſta Regiæ Prophetæ vox *Tabefeſcere me fecit zelus meus* \* cum illatas ab hæreſi clades intuebatur, & ad eas ſarciendas vocem, ſcripta, valetudinem & vitam impendebat. Sexcentas illi aperiebat amor proximorum vias, quibus animas exitio prohiberet, in academiis, in

in Missionibus, in aula, in rusticis pagis; nusquam cessans, nusquam operæ parcens. Sed ille facer impetus nihil habebat turbidi, nihil amari. Omnia ejus dicta scriptaque gravitatem, modestiam, comitatem redolebant. *Maturè, in-  
quiebat, cordatè, sobriè defendenda veritas est.* Quàm erat lenis & commodus in tractandis hominum ingeniis, tam erat fortis & patiens in toleranda eorumdem acerbitate, odio, malevolentia. Nullus fermè locus fuit, in quo famam suam calumniis, vitam insidiis & ferro appetitam non viderit. Placebat sibi gravissimis in periculis, & spe fundendi pro veritate sanguinis triumphabat, ut pleræque illius ad Socios litteræ testantur. Neque solum adversariorum feritatem æquo animo & lato ferebat, quos aiebat spectandos ut instrumenta divinæ bonitatis & justitiæ, quibus & exercere fervorum suorum virtutem, & castigare desidiam consuevisset; sed etiam pro iisdem assiduas fundebat preces, & hoc saltem beneficio illorum maleficia compensare nitebatur.

Caritas proximorum ut vera sit, oriatur necesse est ex ea caritate qua Deum ipsum prosequimur, qui *& amicos in se, & inimicos propter se diligere jubet.* Una mortales quoslibet diligendi causa Canisio & norma Deus erat. Hunc amor divinus jam tum ab ineunte adolescentia totum sibi vindicaverat, & *immaculatum ab hoc seculo custodierat* \*. Eo impulsus virginitatis florem voto consecratum Superis pæne puer obtulerat; austeritatem vitæ religiosæ, beneficio Ecclesiastico non ignobili recusato, fuerat amplexatus; nihil denique omittebat, quo sacrum illum foveret ignem, & magis magisque in dies accenderet. Id vero quia maximè sancti consequuntur precatione crebra, & rerum cœlestium Deique beneficiorum assidua meditatione, Canisius in ea totus erat. Matutini temporis partem somno ereptam dabat orationi, ac vulgo deprehendebatur persusus lacrymis, quas divini colloquii suavitas expresserat: tum, sæpe animo in contemplatione ita defixo, & à sensibus abducto, ut edito gravi murmure, concussa que veste, ad se se vix revocaretur, id quod sacrificanti ut plurimum accidebat. Interdum tamen prorumpere in gemitus & acuta suspiria, quibus percussus aliquando vicinus sacerdos occurrit ad ejus conclave, reperitque toto corpore prostratum, & quasi cum Deo luctantem \*, cui pro hæreticorum salute supplicabat. Orantis ardorem visus est significasse igneus globus, ejus imminens capiti, & ab idoneis, qui rem litteris consignarunt, testibus diu conspectus. Neque vero templi aut cubiculi parietibus desinebatur illius oratio. Secutus Apostoli vocem qui *viros orare in omni loco jubet, levabat ubique puras manus* \*, & undecunque argumentum orandi captabat: nunc agens gratias omnium largitori bonorum Deo, nunc veniam postulans; nunc sibi, nunc aliis lumen, vires, opem rogans: ac ne quem præteriret imprudens, indicem bene longum exaraverat certorum hominum, quos Deo commendatos præcipuè vellet, nec postremum inter illos inimicis locum assignaverat. In aula tumultu, in salebris negotiorum, in Missionum summis occupationibus, breviora orandi spatia, crebritate precationum & ardore pensabat; cum ætas ingravescens plusculum indulset otii, septenas vulgo quotidie rerum cœlestium meditationi horas dabat, plerasque alias aliis precibus attentè recitandis.

Magnam orandi facultatem Dei famulo dabat religiosa sensuum animique vexatio. Quippe mens à contagione corporis purgata, & malarum cupiditatum laqueis expedita, facillime ad sponsi cœlestis amplexus assurgit. Videbatur laboriosa, quam semper egit Canisius, vitæ asperitas, & morum singularis innocentia, immunitatem illi dare poenarum, quas aut rea conscientia præcipit, aut severa pietas utro suscipit. Utrasque semper cupidissimè subiit. Egrotò & seni eripiendum astu fuit cilicium, & alia quibus inclementer in effectos artus sæviebat, arma. Paucis antequam obiret mortem diebus, ipsi persuaderi nunquam potuit ut jejunium legibus Ecclesiasticis eo mense constitutum omitteret. Quamquam non multum discriminis erat inter alios dies, & eos quibus indicta aut voluntaria servabat jejunia. Præterquam quod enim vino serè semper abstinerebat, tum vero tam exigui erat cibi, vix ut hebdomadà integrâ tantum obsonii sumeret, quantum homo minimè edax unâ mensâ; horasque non raro viginti quatuor impastus

\* Ep. Jac. c. 1.

\* Dimittite me, &c.  
Exod. c. 32.

\* I. Ad Timot. 2.

exigeret. Itaque veriti Societatis Praepositi Generales ne sancto sui odio abreptus prodiret extra modum, saepe admonendum censuerunt ut ipse sibi paulisper igno-  
 sceret. Non erat segnior in coercendis animi motibus, ac praesertim honoris cu-  
 piditate, quae ceteris violentior, & in tanto virorum Principum favore, nego-  
 tiorum illustrium tractatione & successu, approbatione publica & plausu, pericu-  
 losior. Hanc vocem Christi Domini *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis  
 in regnum caelorum* crebris usurpabat sermonibus; nec verbis tantum, sed factis  
 implebat, Libentissimè cum parvulis & pauperibus versabatur; domestica mini-  
 stria obibat frequens, etiam infima & despiciatissima; pendebat è superiorum  
 nutu instar tironis, nihilque tam verebatur, quam ne illorum mentem parum  
 assequeretur, aut mandata parum diligenter exhauriret. Nimirum instrumenta  
 Dei sunt homines Apostolici, tanto utiliora, quanto motori suo per obedien-  
 tiam junctiora. Eodem studio humilitatis ductus amplissimos honores, quos Ro-  
 ma, quos Germania, certatim offerebant, constantissimè recusavit. Cum se in  
 Episcopali solio proximè collocandum audivisset, metum ac dolorem suum his  
 verbis S. Ignatio impertivit. Miserum me, inquit, cui tanta crux paratur! Hoc  
 periculum nisi tua prudentia, tuae preces avertunt, si me hoc infortunio multari  
 contigerit, iratos mihi ob mea peccata Superos omnes arbitror, & in mare  
 ac luctu quod superest vitae traham. Cooptare illum in collegium Cardinalium  
 Pius V. decreverat, necnon Gregorius XIII. \* Hoc metu exanimatus praecipitem  
 ex Urbe fugam, in salutatis amicis arripuit, exemplo S. Franc. Borgia, sequi  
 instanti procella subduxit. Non tantum honorem sedulo fugiebat Canisius, ve-  
 rum etiam honoris domicilia, aulam dico, & Principum virorum basilicas, in qui-  
 bus nostros homines sine gravi periculo versari negabat posse. Quam in senten-  
 tiam ad Everardum Mercurianum ita scripsit anno MDLXXIX. *Res ipsa  
 docuit & meam confirmavit sententiam, nimirum valde cavendum hoc esse tenta-  
 tionis genus, quod nostris hominibus paratur ab his, qui cum Societatis patroni &  
 amici videri volunt, quosdam è nostris in suas familias & aulas deducere, & nescio  
 quam in servitutem tacite redigere velle videntur. At revera, ut breviter dicam,  
 si nostri paulo diutius apud seculares istos aulicosque versentur, plus in se ipsis detri-  
 menti, quam in aliis spiritualis commodi experientur; & vix effugient quin, vel in-  
 viti subinde peccatis communicent alienis, in hac communi hominum licentia, corru-  
 ptaque nobilium disciplina. Omitto in qua fastidia & pericula nostri incidant, cum  
 se istorum ingenis utcumque accommodare coguntur; ita ut nec sibi nec aliis pro  
 ratione suae vocationis servire ac prodesse possint; &c. Quod verbis monebat Cani-  
 sius, hoc praestabat factis; nec diutius in comitatu virorum Principum moraba-  
 tur, quam quantum ferebat necessitas, veniamque demigrandi aut eliciebat, aut  
 exprimebat. Quo nomine illi gratulatus aliquando est Everardus. Gaudio, in-  
 quit, & gratulor quod V. R. vicerit omnes eorum qui retinere illam conabantur,  
 preces. Quo animo si essent omnes nostri, qui aulas frequentant, non tantum nobis  
 molestiae aliquando afferrent, & cum ipsis etiam Principibus nullum nobis aut exi-  
 guum esset negotium. Oranti aliquando divina lux oborta derepente Evangelic-  
 cum illud oraculum clarius, quam unquam antea, patetecit *Cum feceritis omnia  
 quae praecepta sunt vobis, dicitis servi inutiles sumus* \*. Hac nova divinitus prae-  
 valente menti face inspiciens se homo Dei despiciensque, non tantum honoris ca-  
 duci blandimenta facile sprevit, sed etiam quidquid habet Christiana humilitas  
 abjectum, semper est consecutus. At quanto sibi erat vilior, tanto carior Deo,  
 tanto apud ipsos homines honoratior extitit. Dilingam transeuntem Cardinalis  
 Augustanus cum excepisset omni honore ac benignitate, demum ipsi pedes, quam-  
 libet invito ac reluctanti, lavit. Idem cum Dilingam Societati academiam tra-  
 deret, impulsus se plurimum ad id consilii capiendum professus est diuturna cogniti-  
 one, consuetudine, & experientia quam habui, inquit, cum eximia pietatis ac do-  
 ctrina viro doctore Petro Canisio; qui in civitate & diocesi mea Augustana incredi-  
 bilem fructum in convertendis haereticis, & stabiliendis catholicis, & aliis nunquam  
 satis admirandis operibus continè, indefessè, & laudabiliter peregit. S. Carolus Bor-  
 romaeus certior Mediolani factus quam prosperè ac sapienter Christianam rem  
 inter*

\* Euseb. & Jerem-  
 berg. Radervus.

\* Luc. 17.

inter Helverios Canisus gereret, continuo ipsi per litteras gratulatus est, ab eoque petiit ut identidem ad se perscriberet quibus maximè rebus commissum sibi gregem in vera Fide ac pietate confirmare posset. Quanti eundem fecerint Summi Pontifices Julius III. Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. Imperatores Ferdinandus & Maximilianus, Concilii Tridentini Patres, Duces Baviaræ, ceterique Germaniæ Principes, patet ex iis quæ hæcenus retulimus.

Opinioni tam præclaræ, tam publicæ, Deus ipse manifestis prodigiis suffragatus est, quibus servi sui sanctitatem in vita, & post obitum illustravit. Prophetiæ dono præditum fuisse multa docent. Complurium animarum statum, quæ vinculis corporis solutæ pœnas peccatorum in purgantibus luebant flammis, cognovit, ac percontantibus aperuit. Sororis suæ maritum, sanum ac bene valentem prope admonuit ut compararet se ad mortem: hæc elapso vix mense prædictionem comprobavit. Unius è nostris animum gravi ac periculoso jactatum æstu introspexerat. Accedentem ac male dissimulantem increpuit, utque tacitum ulcus aperiendo sanaretur fecit. Puerulum conspicatus, prænuñciavit sacris Ordinibus initiandum, & inter Ecclesiæ ministros locum insignem propter egregias virtutes habiturum. Vaticinationi respondit eventus. Illud mirabilius quod de fratri sui Theodorici Canisii lugubri morbo ipsimet indicavit, ut postea referemus\*. Non minor Canisii virtus fuit ad sanandos corporum aut animorum graves morbos, quàm ad prædicendos. Augustæ Vindelicorum nobilis femina\* Comitissæ Marci Fuggeri uxor, educata in sinu hæreseos, ne aspectum quidem catholici sacerdotis, ac minimè omnium Canisii, poterat sustinere. Illum in somnis videre visa est hortantem graviter ut avitam religionem repeteret, in qua sola salutem consequi sempiternam posset. Evigilans mulier, seque ab illâ, quæ hæcenus fuerat, alumna erroris & patronâ, muratam subito admirans, Canisium spontè arcessit, ejusque ad pedes accedens, Nunc tandem cedo, exclamat; doce, mi Pater, jube; nihil jam in me est moræ quin catholica sim. Quanta mole pugnatum fuit à novæ sectæ proceribus ut matronam, partium suarum columnam, decusque, retinerent! Incassum cecidere conatus omnes. Palam hæresim detecta tantum ornamentis attulit catholicis partibus constanti & eximia pietate, quantum exitii & pudoris hæreticis incussit. Paulò antè illius glos, Ursula Liechtensteina, Comitissæ Georgii Fuggeri conjux, in Fidei libertatem à servitute novitatis vindicata fuerat ab eodem Canisio. Ambæ studiis communibus & exemplis incredibile est quot hæresi clades intulerint. Ex ejusdem Marci Fuggeri familia virgo nobilis annos octo in hostis Tartarei possessione permanserat. Ortigam est adducta, ubi Canisius, sacrarum precum, atque adeo Beatissimæ Virginis auxilio, dirum possessorem ejecit. Guillelmus Krumenstollius, præcipuè in senatu Friburgensi auctoritatis, afflicto per cœnosam viam equo ruens, oppressum jumentum mole crus expedire arte nulla poterat. Diu luctatus, Canisii adhuc superstitis & amici, apud Deum merita cœpit interponere: confestim crus evolvit, excitat equum, domum se latus & incolumis refert. Quinto post die, periculum & beneficium oblitus, Canisium adit, salurandi, ut solebat, causa: cumque alia omnia diceret, ultro Pater in eum sermonem ingressus, illi rem omnem, quam rescire non poterat aliunde, aperuit. Qua voce admonitus Guillelmus, & reum se confessus est, & prolixè gratias egit. Canisius eum de re tota, se vivo, verbum cuiquam facere vetuit. Sebastianus Veronus, Vicarius generalis in diocesi Lausannensi, & Friburgensi ecclesiæ Præpositus, pecuniariam litem habebat permolestam, inexhaustum rixarum fontem: quem ut præcideret, meditabatur pius ac prudens sacerdos suo jure cedere. Sed antea nihilominus causam deploratam Canisii precibus commendavit. Eodem die lis adjudicata Verono fuit, ac postfridie litigatores dimidium illi debitæ pecuniæ obtulerunt.

Christophorus Reiffius, senator clarissimus, gravi morbo sextum jam mensem oppressus ægrè spiritum trahebat. Uxor, ubi medentium irritas artes cognovit, Canisii tumulum supplex petiit; obtestatur opem ut marito ferat: reversa domum, penitus valentem ac lætum læta vidit. Alia pariter matrona plurimos dies cibi & potionis experta agitabat: obsederat fauces humor pertinax è capite pro-

Kkkkk 2 fluens,

44.  
Prodigia quæ-  
dã ab eo edita.

\* Infrã s. 48.

\* Sybilla Eber-  
steina.

fluens, neque sacri Viatici sumendi potestatem faciebat. Ad eas redacta mulier angustias imaginem P. Canisii afferri sibi petit, quam capiti subjiciens, obdormivit; licet somnum à diebus octo non vidisset. Post horam evigilans, ruptum sub mento sentit apostema; fluxit ubertim humoris putridi felix copia; & simul morbus, dolor, metus effluxere. Alia summos inter dolores parturiens Canisii rosarium de collo suspendit; ac prolem virilem salva salvam enixa est. Exinde Canisii rosarium circumferri, & parturientibus saluti esse cœpit. Alia comitiali morbo laborans, pernoctavit ad ejusdem sepulcrum; nec deinceps unquam eo malo tentata fuit. Alia, cum inter vescendum ossis fragmen hæssisset in faucibus, ac spiritum intercluderet; eo invocato præsentissimi periculi causam expulit. Petri Posseti filius puerulus deformem fœde manum gerebat, distorto fuerat Canisio, parens admovit pollicem; qui confestim motum suum ac locum, tumore dilapso, recepit. Alterius filiolus brachio uno debilis, post interpositum, edito voto, Canisii nomen, solutus dulci somno, postquam placidè quievisset, sanitati est restitutus, ac cibum manibus suis sumpsit; quod adhuc facere nequiverat; stupente patre, qui filii valetudinem desperaverat. Mulier non uno tantum brachio, sed omnibus ferè capra membris, humanis remediis nihil profecerat. Deportatur ad Parisiæ tumulum: ubi novum per membra fundi vigorem sentiens, surgit, incedit, ædes reperit, gratulantibus quicumque occurrebant, & Deum in sanctis suis mirabilem prædicantibus.

Rogaverant Friburgenſes Canisium, adhuc superſtitem, ut urbem suam a pestilentia defenderet, quæ diram in ea stragem edere consueverat. Annuit precibus servi sui Deus, ex eoque tempore sapius abstinuit urbe lues, licet vicinis in oppidis impune licenterque grassaretur: aut si quem Friburgi carpsit, illi promptum & facile vulgo remedium ad potentis patroni tumulum fuit. Id experita est præ ceteris anno MDCXXII. famula matronæ nobilis. Contactam se peste ac morientem cernens promisit, concepto piè voto, se ad Canisii sepulcrum certas preces persolaturam. Continuo dolor ac pestiferum ulcus evanuit. Familia, quæ paulo ante moribundam, & modo valentem aspiciebat, irritis, quasi morbum simulasset. Sed & ipsam incessit dubitatio, Canisii ope curata esset necne. Dubitantem pestis iterum occupat. Agnovit erratum; ad templum & Canisii cineres trepidè festinat: inde optatam retulit salutem, & ejus auctorem palam prædicavit. Anno MDCXXXIX. Virgines Deo dicatæ, quibus Diva Ursula nomen dedit, maximo versabantur in periculo, tribus populari quodam extrinsecis morbo, ceteris graviter laborantibus. In tam præfenti discrimine vovent se præter preces ad P. Canisii tumulum recitandas, effigiem ejus acu pictam daturas. Voto edito, quæ laborabant repente convaluerunt; aliis pristina sanitas constitit. Cum tot prodigiis, tanquam totidem vocibus, eximiam Canisii sanctitatem & merita coelum loqueretur, Europæ Principes, Imperator, Rex Christianissimus, Rex Catholicus, Rex Lusitanæ, Duces Baviaræ & Sabaudia, Helvetii, ac potissimum Friburgenſes; præsules ac dynastæ Germani, qui conservatæ suis in regionibus Fidei gloriam ejus pietati ac laboribus acceptam ferebant, publica non semel vota derulerunt ad Romanam Sedem, ut Apostolico suffragio testimonia Superùm hominumque sanciret. Veteribus prodigiis accesserunt novæ; exiitque nuperrimè libellus, in quo plurima recens edita numerantur: incendium atrox subito restinctum, reddita cæco lucis usura, pedum loripedi, mutæ puellæ vox, spiritus liberior asthmaticis; vita mulieri depositæ: dissipati hydrope portentosi, sedati capitis & stomachi dolores acerrimi, morbi difficiles præter medentium spem artemque depulsi: quæ omnia notatis personis, temporibus, & locis, diligenter excussa referuntur; quemadmodum apposito nomine suo & chirographo testatur Petrus Montenachus, Episcopus idemque Comes Lausannensis, & Imperii Princeps, cujus auctoritate ac jussu singula suis ponderibus accuratè sunt expensa, & ritè publicis tabulis monumentisque consignata.

ARCTIORIBUS quidem limitibus, quàm Petrus Canisius, definitum habuit pietatis ac laboris Evangelici campum P. Joannes Frias, Hispanus; non dissimilis  
in

in eo tamen ardor animi ad dicendum, par animarum ex erroris & flagitii cœno eruendarum cupiditas fuit. Idem de Societate pariter optimè meritus, cui domicilia quinque in Batia peperit: præter institutas & certis assignatas locis Missiones, unde fructus incredibilis in plures provincias redundavit. Tanto animi & sermonis impetu perorabat, ut omnia concuteret, amicamque vim obstinatissimis peccatoribus afferret.

Cum vero naturâ comparatum sciret, ut non prius ad amorem Dei convertantur mortales, infimorum bonorum delectatione inescari, quàm ab illa fuerint, velut à lacte, depulsi; faciebat initium dicendi à salubri majestatis, potentia, ac justitiæ divinæ meru, quod ipsi quoque Canisio familiare fuisse observavimus. Hoc illius etiam habebat, ut orationem unicuique hominum generi accommodaret: militem cum milite dixisset: nihil nisi arma, signa, excubias, castra, insidias loquebatur; cum nobili, nobilem; mercatorem cum institore; cum agresti, agrestem ac ruris plenum. Acerrime reprehendebat nimios ornatus mulierum, oris pigmenta, quasitas malis artibus illecebras, imprudentium retia & pestem virorum; à quibus vix dici potest quot calumnias idcirco, probra, & contumelias exceperit. Iis addebant se socios mali dæmones, prædam sibi suam dolentes eripi: objectis sæpe larvis illum territabant, cædebant plagis; necem, nisi abisteret, intentabant. Nec deerant bonorum angelorum præsidia; quorum opem præsentissimam sæpe sensit. Iter aliquando facientem palustri, & uliginoso loco, fœda imbribus, tonitruis & fulminibus tempestas occupavit. Dejectus equo in cœnosa voragine fluctuabat; adfuit imploratus supplici prece custos cœlestis. Procurrrens ex improvise juvenis ignotus eruit jumentum cœno, & in ejus dorsum sessorem reposuit. Postquam in militarem viam est ventum, abscessit; oculosque per aperta campi spatia circumferens Frias, nullum hominis vestigium deprehendit. Variis id genus divinæ tutelæ argumentis erectus, cum fiduciam in ope divinam suam accendebat, tum etiam acuebat alacritatem ad omnia pericula, quocumque salus animarum vocaret, laceßenda; nullo personæ cujuslibet, aut eorum quæ ab hominibus formidari vel sperari possunt, respectu; quam libertatem Apostolicam ut fartam tectamque servaret, adduci nunquam potuit ut munus ullum à quoquam acciperet. Itaque post obitum, præter chartas exaratas, cilicium & flagellum usu attrita, nihil in ejus cubiculo repertum est. Obiit Cordubæ XII. Kal. Quintiles, cùm, pectoris venâ inter concionandum ruptâ, exundante sanguine obrutus, exspiravit. Plures interdiu horas precationi dabat, nec pauciores noctu, flexis ante divinam Eucharistiam genibus supplicans. Hinc scilicet fructus ille concionum, quæ, sine precatione, vulgò sunt *velut as sonans, aut cymbalum tinniens* \*.

Idem concitata orationis impetus, & modi prope oblitus ardor, mortem attulit P. Æmiliano Garcia, Hispano. Dicentem è superiore loco lateris dolor, mox febris corripuit, paucisque post diebus absumpsit\*. Primum pueritiæ moderatorem nactus Joannem Avilam, tantum ejus disciplinâ profecit, quantum sperare fas erat ex indole optima discipuli, ac præstantissimi doctoris industria. Post absolutum Compluti philosophiæ ac theologiæ curriculum, vocatus à Deo in Societatem, cum procrastinaret ingressum, per causam itineris ad salutandam matrem viduam procul obeundi; videre Christum visus est armatum spiculo, & minaci vultu moras omnes abrumpere jubentem. Abrupit: ingressus est\*. Felix inerat illi ad dicendum, & impellendos quò vellet animos, natura. Itaque ad cœleste semen spargendum adhibitus, triginta totos in eo munere deinceps annos singulari cum fructu in Aragoniæ, Valentia, Granatæ, Batia ac Toleti regnis traduxit. Momenti minimum ponebat in ipsis concionibus; in quibus tamen meditandis, elimandisque, sacri plerumque oratores tantum laboris otii-que collocant: plurimum verò in oratione, jejunio, & ceteris pœnitentiæ operibus. In iis diligens ac multus erat. Duos hebdomadæ dies jejunus transigebat; lectum dabat tabula centone instrata, vel culcita è stramine. Cilicium a corpore nunquam dimovit; nunquam sine hac lorica pulpitem, contra vitia pugnaturus, ascendit. Convivia invitantium ut adiret nunquam ab eo potuit impetrari:

§.XXIX.

PP. JOANNES  
FRIAS, & ÆMI-  
LIANUS GARCIA.

45.

Concionandi &  
agendi cū pro-  
ximis ratio.

\* I. Cor. 13.

\* Compluti, 30.  
Novembr. 1597.\* 7. Maii, anno  
1563.

petrari: nunquam, ut acciperet munera: minime vero pecuniam, nisi forte statim in pauperes dividendam. Spectaculis, ludis publicis, & aliis id genus aurium oculorumve oblectamentis semper abstinuit. Itinera fere conficiebat pedes; nihil in sarcinula præter breviarium, & pauculas concionum chartas. Via & æstu fatigatus in agreste aliquod vehiculum admitti se cum socio rogabat: & pios ex occasione sermones miscens cum rusticis, vecturæ pretium prolixè persolvebat.

46.  
Missiones quomodo utiliter obeundæ.

In destinatum Missioni locum delatus, primùm omnium ædem sacram adibat, orans ne peccata sua obicem ac moram Dei consilii beneficiisque ponerent. Angelos loci præfides, ut suam & incolarum causam apud Christum Dominum ipsiusque Matrem sanctissimam sedulo agerent, precabatur: idque ardore tanto, tanta lacrymarum vi, ut plerumque horas aliquot orando, quamvis de via festus & jejunos, duceret. Hospitio non alio utebatur quam nosocomio; vel, si non esset nosocomii copia, tugurio vili, aut annosæ ac probatæ viduæ domo: neque unquam in ædes nobilium ac divitum, aut virginum vel conjugio junctorum, divertere sustinuit. Nullam in cubiculum, quacumque de causa, mulierem subire patiebatur: viros, si officii & humanitatis gratia, ut sit, venirent, comiter, at paucis verbis accipiebat: si pietatis ergo, in templum fere deducebat. Cum animæ salus agebatur, omnium hominum homo, in loquuntur, & horarum erat. Ante concionem, quam semel mane, iterum sero, diebus Dominicis ac festis habebat, provolutus hora panè integra ante Christi è Cruce pendentis imaginem, veniam suorum ac populi delictorum à Deo flagitabat enixè.

Ejus hæc scita quædam & placita memorantur: Nihil in alienæ salutis negotio differendum: Perditos homines non asperere ac duriter, præsertim cum se ultro accusarent, adhibendos; non enim sacerdotes ad puniendam, sed ad condonanda peccata, institutos fuisse: Multum deperdit tempore, parum emolumentum percipi, hominibus invisendis solius urbanitatis causa: pauperes, agros, disidentes, Evangelico præconi esse adeundos. In iis operam necessario & utiliter poni: hinc venerationem & existimationem sanctè colligi, quæ hominum politiorum usu promiscuo & liberiore, ut nummus tractando, deturitur: Neminem quamlibet publicè flagitiosum, publicè tamen insectandum esse: parcendum personæ ac famæ, in quam jus sacerdoti nullum est.

Prolixum & dissolutum, aut nimis pressum dicendi genus respuebat: non enim digeri cibos qui stomacho ingeruntur malè cocti, aut raptim devorati: alimenta pauca, simplicia, nativo sapore condita, non adscititiis fucata deliciis, prodesse. Primum, in dicendo, locum tribuebat sacra Scripturæ ac Patrum testimoniis; secundum argumentis & rationibus; tertium similitudinibus & exemplis. Inde motus animorum eliciebat, & præcipitantes animos ad assensum urgebat. Si quem de se conqueri, jure an injuria, resciret; rogabat veniam: si veritas defendenda, defendebat illam quidem libertate summa, sed summa quoque modestia, ut ipsa loqui veritas, non impotentis animi perturbatio, videretur. Si quos in flagitio pertinaces deprehenderet, non dubitabat illos multa prece, lacrymis, complexu tenerrimo, ad poenitentiam provocare: ac, si ne tum quidem satis proficeret, verborum fulminibus percussos veluti profigabat. Itaque dimissa concione, attoniti, silentes, pallidi suam quisque reperebant domum; ibi, audita, recolebant, ac redibant penitus mutati: alios homines, alia oppida tota crederes. Quos vero vincere nulla ratione potuerat, non inultos abiisse, ac pertinaciam sæpe insictâ divinitus pœnâ luisse compertum est. Sic aliquando Compluti frustra invecus in cives avaros, quorum improbitate ac dolo caritas annoxâ ingravescerat, pro concione illis diem ad supremi judicis tribunal dixit: nec ita multo post, attonita civitate, omnes repentina morte rapti, triste vadimonium obierunt. Narrant visum ejus non semel, cum verba faceret, vultum luce nova radiantem: conspectam aliquando columbam ejusdem vertici imminentem. Multa Deo monstrante cognoscebat. Hoc præter cetera memorabile. Granatæ in cubiculo sedenti sub vesperam allapsa vox est, qua prodire acutum jubebatur, opemque graviter periclitanti ferre. Dum cunctatur & anxius trepidat, eadem vox, at minax & imperiosior, insonat. Procedit è conclavi in templum, & ante  
sacra.

sacratissimam Eucharistiam prostratus, rogat quò prodeundum, cui opitulandum sit. Tum distinctius monetur certam in plateam ut se conferat; obvium fore illic hominem sic vestitum, cum laqueo, quo sibi fauces elidere statuerit. Procurrit ad locum designatum: hominem indicatum offendit: laqueum, quem occultabat, è manibus; & simul ex animo sceleratum deliberatæ necis consilium extorquet. Illud etiam insigne. Languerat ejus socius, labore itineris & inedia confectus: In oppidum emendicandæ stipis causa excurrens, contumelias & maledicta reportavit. Ambo templum ingressi, quam negabant mortales, opem à Deo petunt. Ecce autem civis primarius, at Societati nostræ, si quis usquam, infensus, idem templum subit: utrumque humanissimè salutat, invitat domum, laute ac liberaliter excipit. Retulit Christi famulus & imitator ingratae urbi bonam gratiam. Repetitit per dies aliquot concionibus cives ad studium virtutis accendit.

Solitus erat, prius quàm Missioni finem imponeret, vicarios quosdam suos relinquare, qui bene constituta tuerentur. Et quoniam multi unum in corpus cooptati, certisque devincti legibus, facilius resistunt humanæ inconstantiae; cœtus pius instituebat, ac singulis certam pietatis partem procurandam augendamque attribuebat. Peracta Missione recipiebat se in aliquam è nostris domibus; primum ut rerum in Missione gestarum rationem rectori domus redderet: deinde ut colligeret animum, Deoque per meditationem & preceationem arctius conjungeret: tum, ut libros quosdam theologicos, præsertim qui conscientiae quaestiones tractant, evolveret. Ad extremum sistebat se rectori promptum ac paratum, quidquid porro juberet: sic novo mandato velut auctoratus ad pristinum se laborem referebat.

P. Benedictus Herbestus, Roxolanus, inter canonicos Posnanienses ineunte ætate cooptatus non vulgare ingenii doctrinaeque famam adeptus erat. Divino collustratus lumine, ac vitæ perfectioris cupiditate succensus, Romam cum Stanislaio Herbesto, fratre suo \* concessit, cumque illo Societati se addixit anno MDLXXI, ætatis XL. Remissus in Poloniam, tirocinio Romæ transacto, sic vitæ rationem instituit, ut Leopoli plerumque consistens ac Jaroslaviae, Russiam, Podoliam, Voliniam, Lithuaniam, & circumjectas lustraret regiones; easque in Fidei ac pietatis integritate conservaret. Longum sit persequi quot sacras aedes vestitate collapsas restituerit; quam multa oppida parochis orbata subsidiis sacramentorum, & verbi divini cibo sustentaverit; quor scismate depravata emendaverit. Præcipuam curam diligentiaque partem ponebat in sacerdotibus erudiendis, ex quorum doctrina scilicet ac pietate sanitas Fidei morumque maxime pendet. Illis non cessabat explicare tum dogmata catholica, tum officia sacerdotalis vitæ ac muneris. Proxima ipsi pauperum cura: idque primum omnium faciebat urbem aliquam aut pagum ingressus, ut obiret pauperum domos, ac prouideret ne quem necessaria corpori animæque praesidia desicerent. Conciones ad vulgi captum accommodabat, eaque dicendi sumebat argumenta, quæ salutarem incuterent metum, & foeditatem vitiorum in intimis mentibus defigerent: indignum ratus, dum ardent omnia scelerum incendio, amœnitates verborum, & eloquentiæ flosculos, consecrari. Nec oratione tantum docebat, sed ipso vestitu, victu, vita demum tota pœnitentiam spirante. Vestis obsoleta: vino, nisi forte in procerum mensis, vitandæ offensionis ac novitatis causa, prorsus abstinere: itinera, Sarmaticis pruinis ac nivibus obsita, pedes, & sarcina aequè ac annis onustus consciebat.

Religiosæ disciplinae tenax bonam otii, si quod nancisceretur, partem collocabat in meditando recolendisque regulis nostris, quarum ne levissimam quidem violasse animadversus est: quod profecto mirabuntur qui difficillimam putant esse concordiam vitæ religiosæ adstrictæ legibus, & ejus libertatis, quam annuere præconibus Evangelii usus cum populo quotidianus, & occupationum perturbatissima varietas videtur. Quod ut concedam esse illis difficile, qui apud se nunquam aut raro sunt; ita facillimum esse aliis, qui secum, & cum Deo norunt habitare, exemplo est P. Herbestus. Et arte quadam eo pervenerat. Ac primò quidem silentii custos acerrimus inanes futesque non modo fugiebat, sermones, sed

§.XXX.

PP. BENEDICTUS  
HERBESTUS, &  
JACOBUS AVEL-  
LANEDA.

A. C. 1598.  
Soc. 59.

\* *Suprà*, §. XV.

47.

Hominis Apo-  
stolici cura præ-  
cipua: concio-  
nes: usus cum  
Deo familiaris.

sed injectos etiam ab aliis respuebat: pios vero sic amplectebatur, ut hanc maxime rationem idoneam duceret *ambulandi cum Deo & coram Deo*. Neque illum pigebat quotidie aliquid ex meditatione pia, lectione, dierum festorum carimoniis & celebritate decerpere, quod utiliter ac jucundè in congressu familiari commemorari posset. Altero utebatur adminiculo fovendæ in medio negotiorum æstu pacificæ pietatis; nimirum crebra oratione, & rerum cœlestium assidua contemplatione, cui certas nocturni diurnique temporis partes seponebat: demum brevibus oratiunculis, è caritatis quasi pharetra depromptis, stimulabat se se identidem, ac veluti pungebat. Ad divinum Missæ sacrificium celebrandum accedebat quàm paratissimus. Sacerdotales preces non solum animi attentione magna, sed etiam religioso corporis habitu, exquebatur; modo caput inclinans, modo tollens oculos in cœlum; nunc alio, atque alio gestu mentem erigens. Singulas earum partes illis, quæ cuique assignatæ sunt, horis non recitare habebat religioni; eamque ob rem secum clepsydram assiduè deferrebat. Inter orandum morte subita correptus est Jaroslavia XII. Kal. April. Non dubito futuros, quibus pleraque ex iis, quæ modo sunt observata, nimis angusta & jejuna videantur: sed in minutis ejusmodi rebus, ut sæpe aliàs monuimus, magnum veræ virtutis præsidium esse constat. Nihil exiliis radicum fibris, quibus tamen ingentium arborum trunci, & late patentes onustique pomis felicibus rami sustentantur & vigent.

*Toleti et. an. 68.*

Non alio pariter, quàm orationis & assidue cum Deo consuetudinis delinimento graves ærumnas peregrinationum in Orbe veteri ac novo levavit, qui finem earum tandem VI. Nonas Martii invenit\*. P. Jacobus Avellaneda, Granatenfis. Cum Societatem, Theologi doctoris insignibus ornatus, post gestum in academia Orsonensi Rectoris munus, iniisset anno MDLVI, tantam brevi laudem virtutis & sapientiæ est affecutus, ut biennio post ad primam generalem Congregationem procurator provinciæ Baticæ fuerit allegatus. Romæ substitit aliquandiu, sacramque scientiam in collegio Romano docuit. Inde redux in Hispaniam collegium Hispalense administrabat, cum à Francisco Mendoza Catholici Regis oratore, qui prudentiam viri ac probitatem venerabatur, in Germaniam abductus, ex ea Isabellam Maximiliani filiam, Carolo IX. Gallia Regi nuptam, Parisios comes & conscientia moderator secutus est. E Gallia reversus in Hispaniam Madritense rexit collegium, provinciam Baticam gubernavit, Castellanam inspexit: cunque meritam quietem ætas jam affecta flagitaret, non recusavit quin alterum in Orbem transmitteret, ut Mexicanam exploraret ordinaretque provinciam.

48.

Obedienciæ studium. Pauperum cura, dives caritas.

Rebus illic è sententia compositis, Oceano remenso patriam repetens, præfuit Toletanæ domui: quo munere perfunctus, ut obediendi sitim expleret, quæ semper flagraverat, totum se confessarii arbitrio permittit, sœctendum regendumque instar tironis. Ab eo singulas diei noctisque horas describi sibi, & certis occupationibus assignari voluit; ut ab ejus nutu ne latum quidem unguem discederet.

Solebat pauperibus ciborum reliquias ad fores dividere, iisque quodcumque posset, afferebat levamenti, ne suis quidem vestibus parcens: nam tenerimo calamitatis alienæ sensu tangebatur; quæ propria dos sanctorum.

Deprehensus forte Toleti, domi nostræ, furunculus in ejus conspectum adductus est: quem ore ac sermone blandissimo accipiens, & ad meliorem frugem cohortatus, aliquot etiam nummis donavit. Qua lenitate hominem sic devinxit, ut expiatis sacramento peccatis, & arte pristina deposita, religiosæ vitæ crucem fortunatus latro subierit, in eaque ad extremum usque spiritum perseveraverit. Egentibus dari jusserat aliquando veterum indusiorum bonum sane numerum: magna repente vis non modo recentium subucularum, sed etiam mapparum ac ceteræ vestis linteæ, domum affertur: eam submittebat nobilis femina, nomenque suum edî veterat. Hospites viginti Madritense in collegium ex improvise confluerant. Procurator de tot capitum interventu mæstus & anxius rectorem Avellanedam adit; negat sibi quidquam esse in loculis præter paucos admodum nummos. Id apud rectorem quiritantem supervenit janitor: monet adesse ad valvas honestæ

nestæ fortis hominem, gravi difficultate rei familiaris laborantem, & subsidii aliquid infimis orantem precibus. Eia, inquit Avellaneda procuratorem conturbatum respectans, tuos istos nummulos, huic, fodes, actûrum da: Christum deinde in sanctissimo Sacramento vises, illique nostras angustias commendabis. Facit imperata procurator: vix in ædem sacram abierat, adest nescio quis ad easdem fores, & janitori sacculum nummis argeateis refertum tradit. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis* \*.

\* Proverb. c. 19.

Porro quàm liberalis in alios, tam sibi durus & parcus erat. Feriam sextam & sabbatum cujuslibet hebdomadæ; item omnes, qui sacram quamlibet Deiparæ lucem præcurrunt, dies jejunos peragebat. Cum iter faceret, applicabat se ad obvios, & quo pacto Virginem Matrem colere possent, edocebat: nullumque sibi patiebatur elabi, quem salutis æternæ ac vitæ sanctioris cupiditate non accenderet. Nimirum illud est quod monet Apostolus; & Evangelii ministris faciendum his verbis præcipit: *Christi bonus odor sumus in omni loco* \*.

\* II. Cor. 15.

P. Petrum Monroyum, altero post P. Avellanadam mense mortuum \*, ad promissa humilibus ac pœnitentibus præmia evolasse non immerito existimamus. A parente, qui principem in oppido Hispaniæ locum obtinebat, lautissimum patrimonium acceperat; opimum beneficium Ecclesiasticum à patruo. Accedebat ad mali cumulum, quòd patruo paulo post ac patre orbatus, florente adhuc juventa, sui juris ac potestatis esset. Hoc in lubrico prolapsus graviter, domum aleatoribus reclusit: consuetam cleri vestem, cum clerici moribus exiit; somno, ludo, genio liberius indulgit: gravioribus interim flagitiis temperans, & consulens famæ. Necdum tamen hæc omnia explebant avidam deliciarum sitim. Media in copia inops, aliorum judicio felix, miser suo; semper aliud ex alio venabatur in quo acquiesceret, ut solent qui displicent sibi, & secum habitare nesciunt. Itaque varias Hispaniæ suæ lustravit urbes; inde in Italiam, ac porro ulterius, cogitans, ut conscientiam tumultuantem placaret. Sed fugere se, vel potius insequentem Deum, non potuit. In turba, in solitudine; noctu, interdiu, recurfabant amaræ \* cogitationes: Deus ubique præsens, ubique ultor observabatur. Interea audire sibi visus est vocem, qua litterarum studiis animum jubebatur intendere. Conducit doctorem, collegium Societatis ingreditur. Verba faciebat è superiore loco ad studiosam juventutem Joannes Baptista Sancius. Ejus oratione tam alte infixus Monroyo stimulus hæsit, ut eo vulneratus reliquam diem stupens, & sui vix compos, traduxerit. Salutare vulnus sacerdoti detegit, qui ægotanti animo fecit medicinam. Levatus peccatorum onere, tanta repente dulcedine perfusus se sensit, ut interclusa voce in suavissimos gemitus erumperet. Continuo dimissis famulis, relicta domo locuplete, abjectis superflui cultus phaleris, in contubernium adolescentium migrat, apud civem notæ probitatis.

S. XXXI.  
P. PETRUS MONROYUS.

\* Die 27. April.

\* Scito & vide quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Jerem. 2.

Omnium oblitus, præterquam pietatis ac litterarum, vix prodibat foras, nisi ad scholam & sacram ædem: corpus deliciis assuetum, parcimonia victus, jejuniis, flagellis macerabat. Cum verò illum contubernales delegissent uno consensu morum rectorem ac ducem, hujusmodi munus agrè quidem, sed tamen accepit; sperans inde sibi dandam occasionem cunctis ministrandi, & necessitatem colendæ accuratius virtutis imponendam. Delegit in summa contignatione cavum verius quàm cubiculum, in quo liberius Deo vacaret. Longe ante lucem surgens instabat orationi: sub lucis ortum sodales excitabat è somno, quibus certas unà precandi, studendi, corporis pie cædendi vices descripserat: adeo ut non id contubernium juvenum arbitrato suo viventium, sed religiosa domus certo gubernata præside videretur. Quo facto id consecutus est, ut cum in Societatem se dicavit anno MDLXIV. pristinam vivendi rationem vix mutaverit, Quamquam & mutavit. Multum quippe interest ad virtutis perfectionem, utrum quis arbitrio suo vivat, an alieno. Idque cum probe intelligeret, præcipuam adhibuit curam ut, voluntate sua penitus abdicata, divinam amplecteretur, sibi per ejus interpretes, religiosa familia rectores, declaratam: ac decerptas è sacris paginis voces, eò spectantes, erebro iterabat; id unum impensè studens ut innatum, quo

vel sanctissima pietatis opera, nisi cavemus, inquinantur, & nobis Deoque pereunt; amorem proprii commodi & iudicii prorsus extirparet.

49.  
Stimuli religio-  
sæ mortificatio-  
nis & humilita-  
tis.

Difficultatum ac molestiarum, quibus interdum virtus quoque religiosa pun-  
gitur, aculeos duplici cogitatione retundebat. Arbitrabatur se, flammis ereptum  
& cruciatibus sempiternis, usuram brevem temporis ad expiandas vitæ superioris  
noxas à Deo accepisse; deinde se mancipium Dei, inter patris cœlestis filios ad-  
scriptum reputabat, indignum scilicet qui filii locum & nomen obtineret. Hinc  
laboriosa deposcere munia; cedere omnibus; potiores partes aliis deferre; orium,  
quietem, oblectationem, ut res minime aptas mancipio, repudiare: quidquid  
erat in cibo, quem semel tantum quotidie capiebat, vilissimum; quidquid in ve-  
stitu deterrimum; quidquid infimum domi; hoc sibi, tanquam debitum & accom-  
modatum, vindicare. Quin etiam contendit à suis moderatoribus ut, studio litte-  
rarum deposito, in laicorum ministeriis occuparetur, ac prece multa lacrymisque  
pervicit. Ergo annos complures inter domesticos adjuutores delituit, summa sui  
animi voluptate, omnibus præluces raræ humilitatis exemplo: cuiusmodi exem-  
pla identidem in religiosis familiis exstare Spiritus Sanctus cupit, tanquam tro-  
phaea quædam de mortalium vanitate. Nemo visus est aptior ad docendum veræ  
ac solidæ virtutis placita, quam is qui tam strenuè illa didicerat. Ergo sacer-  
dotii sacrum onus subire iussus, tironibus instituendis præficetur. Ejus vita, ser-  
mo, aspectus ipse, tanquam speculum patebat; in quo quisque perspiceret ductus  
omnes ac lineamenta germanæ humilitatis, modestiæ, pietatis: præsertim autem  
patientiæ in gravibus morbis, quibus sensum est consumptus. Nec iis tamen sa-  
tiabatur ille ardor, quo flagrabat, satisfaciendi iustitiæ divinæ, & poenas à se  
repetendi; aliorum etiam in se derivabat morbos; cumque unum è suis tironi-  
bus acuta æstuantem febris cerneret, oravit Deum ut ab illo febri in se tranf-  
ferret. Liberatus continuo juvenis est: Monroyus eadem correptus paulo post  
oppetiit.

S. XXXII,  
P. IGNATIUS  
MARTINIUS.

NON temerè omen aliquod esse creditur in ipsis nominibus, ex quo liceat  
augurari quis cuiusque vitæ cursus & quasi color futurus sit: nec sine Numine  
factum putem ut Ignatii nomen P. Martinio, cum venit ad Societatem, impone-  
retur. Vasculum enim Martinium antea vocabatur. Mutandi nominis causa hæc fuit.

Conimbricensis collegii fundamenta cum jaceret P. Simon Rodericus, hoc  
apud se statuerat, ut qui primus omnium ex eo collegio admitteretur in Socie-  
tatem, illi nomen Ignatii tribueretur: id venerationi Sancti conditoris nostri da-  
bat. Primus Martinus ad Societatem accessit: inde Ignatii nomen habuit: nec  
frustra. Quippe qui totus in eo fuerit, ut ignem illum ubique accenderet, quo ar-  
debat S. Ignatius; quem *mittere in terram* Christus venit. Ac primis quidem  
annis grande quoddam ac floridum genus orationis confestabatur: postea vero, cum  
animadvertisset istos eloquentiæ flores decidere vacuos ut plurimum, nec in soli-  
dos fructus maturescere, mutavit rationem dicendi, & simplicem, inornatam ac  
prope subhorridam secutus est. Nullum intermittebat diem quin populo, & ia-  
simæ potissimum plebi, cœlestis doctrinæ pabulum apponeret; omnemque hebdo-  
madam sic dispertitam habebat. Certus dies erat assignatus mendicis; tunc mille  
minimum capita in ædem amplissimam conveniebant ad audiendum. Alio die  
verba faciebat ad promiscuam nautarum, advenarumque in portu multitudinem:  
alio consistebat in medio foro; & clausis aut silentibus tabernis, emptores pari-  
ter ac venditores auscultabant; alio triremes lustrabat: alio custodias publicas,  
quò illum magnus nobilitatis numerus cum pane, pulmentis, & pecuniâ, sequeba-  
tur: festis diebus servitia, quorum plurimi sunt in Lusitania greges, ex Africa,  
Æthiopia, Brasilia, Indiis, adveñti, coegebat unum in locum & instrucebat.

\* Luc. 12.

50.  
Doctrinâ Chri-  
stianam indu-  
stria singulari  
& successu tra-  
dit.

Eminebat nihilominus, in tradenda puerulis doctrina Christiana, hominis Apo-  
stolici præcipua quædam virtus & industria. Ulro illos ad se arcesebat, allie-  
ciebat munusculis, caritate mira complectebatur: ab iis vicissim amabatur cole-  
baturque: ad ejus, tanquam ad parentis, sinum undique accurrebant, stipabant eun-  
tem conferti ac deducebant: divelli à Martinio suo non poterant. Ludimagistros  
amplius triginta, qui Olisippone litterarum rudimenta pueros docebant, devinxerat  
sibi;

sibi; effeceratque ut cum suo quisque agmine convenirent in templum, ordine pulcherrimo. Præferbantur certa singulis turmis vexilla: permisti symphoniacorum chori sacra cantica, & adstrictas numeris vernaculis preces, ac divinæ legis effata, concinebant: eademque à pueris & populo prosequente reperebantur. Præibat Martinus, blanda majestate conspicuus, arundinem gestans manu, qua toti agmini velut moderabatur. Auctoritatem illi magnam in vulgus, nec minorem sanctæ, ut ipse vocitabat, doctrinæ commendationem conciliaverant quædam miraculis haud absimilia. Rogabat aliquando agrestem in olitorio foro turbam, æquis salutationem angelicam recitare vellet. Obmutescente per ignavum & rusticum pudorem popello, semestris infans è sinu matris primas angelicæ salutationis voces distinctè appellavit, prosequente toto cœtu, & reliquam precationem subtexente. Dum in tritremi vindictis remigibus modum confitendi peccata, & examinandæ conscientiæ traderet, decidit in sentinam puer. Mortuum omnes clamabant: vivus atque incolumis eductus est. Alium ferox mula dejecerat ac proculcaverat: filiolum exanimem parentes mæsti domum deportabant: accurrit Ignatius, & S. Antonium Patavinum, cui mirificè deditus erat, invocans, negat esse mortuum: imo post bidentium, pariter cum ceteris, ad sacram doctrinam audiendam adfuturum. Dicta die adfuit. Indomitus equus irruerat in agmen procedentium ad sacram ædem puerorum: & plerosque ex illis humi dejectos, calcibus proturbaverat. Sustulit clamorem populus, nonnulli equitem improbum, oculis cursuque paulisper consecuti, evanescere mirati sunt. Martinus bono esse omnes animo jubet: *Inimicus homo*, inquit, sacre doctrinæ hostis infensissimus, *hoc fecit* \*. His dictis, stratos humi parvulos singillatim erexit in pedes, omnis expertes noxæ, quos nemo non putabat obtritos: unus aliquis duntaxat levem in fronte notam gerebat, miraculi testem potius, quàm vulneris cicatricem. Aliàs, suspensus è tholo templi lychnus ex ære, rupto fune decidit in confertam multitudinem, quæ ad concionem audiendam sedebat: neminem unum tamen percussit.

\* Matth. 13.

Perpetuum & acre ipsi bellum cum histrionibus, quos nullo consistere loco patiebatur. Immittebat in eos catervam puerilem, à qua vexati, theatrisque depulsi, exulare cogebantur. Id illi ferebant scilicet animo iniquissimo: utque publicam auctoritatem puerorum pervicaciæ objicerent, cum nosocomii Olisippontensis provifore pacti sunt certâ pecuniæ summâ in singulas, quæ agerentur, fabulas pensandâ; ut sibi à P. Martino, & improbiſſimis pueris, quies fide publica præstaretur. Sed hostilem cuniculum adverso cuniculo Martinus distulit. Parem pecuniæ summam eidem nosocomio, ut fabularum actores ineptissimi pellerentur, persolvere in animum inducit. Hoc agenti occurrit in ædium nostrarum limine, homo ignotus, eique in manus omnem summam sponte tradit. Quâ clam ex improviso numeratâ, improbitatem comœdorum delusit. Aliàs de illa palam & splendide triumphavit. Novus ludionum grex ad novam fabulam, propositis publicè per compita libellis, populum invitaverat. Id ubi rescivit, cum effusa visendi studio civitas in locum spectaculo destinatum convenisset; ipse quoque adfuit cum grege numeroſo puerorum: qui, ostio perrupto, penetrant in aulam, spectatore multo jam refertam; & in omnem prolapsi partem, ut audax & protèrya pueritia est, momento caveam impleverunt, præeuntibus ac percrepantibus tinnabulis, sequentibus vexillis, agmine reliquo pia carmina solito lætius altiufque modulante, & sonoros lyrarum fistularumque fabulæ præludentium cantus pervincente. Hærebat risum inter & iram spectator anceps, ac sæviens nequicquam in puerulos incurſantes comœdus, de fabula desperabat: cum P. Martinus, ore ad majestatem composito, ingreditur; ac theatrum conscendens, eodem usus est pro suggesto concionatoris: admirante populo actorem inexpectatum, & aures oculosque arrigente. Postquam protentâ, quam semper gestabat, arundine silentium jussit, invecus acriter est in profana spectacula, & lacrymas audientibus excussit. Fugit comœdorum cohors irrita, victoresque pueros in templum se recipientes, cavea tota laudibus & plausu prosecuta est.

Qui vulgi licentiam in teatro ipſo compescere, & animos ab inani spectaculo ad pietatis curam traducere sic posset, facile intelligitur quid in sacris concionibus,

51.  
Concionum  
fructus: austeri-  
tas vitæ, pietas,  
amor vocatio-  
nis religioſe.

\* *Adeamus cum  
fiducia ad Throno-  
num gratiæ ejus:  
Hebr. c. 4.*

cionibus, in templo, & ipſo domicilio pietatis efficeret. Mutati mores, publica neq̄ mollis flagitiõrum deteſtatio & pœnitentia, concionum approbatio & fructus erant. Eo duce conveniebat in aliquam ædem ſacram certis diebus ingens multitudo, & lacrymis, gemitibus, dura corporum verberatione, Dei pacem ac veniam expoſcebat. Neque vero pijs ejuſmodi corporis afflictationes Martinus alijs præſcribebat liberaliùs, quàm ſibi ipſemet imponebat. Totum demortui corpus partim obductum callo, partim lividum ulceribus inventum eſt, flagellorum, quibus illud male quotidie multabat, aſſuetudine; calloſa pariter in genibus durities deprehenſa, quibus nixus, horas die quolibet quinas orando extrahebat. Nulla tam gravi, tam difficili, tenebatur occupatione diſtictus, quin templum sæpius intraret, ad Chriſtum in throno gratiæ ejus\* adorandum. Oliſſipone ſcholarum omnium alumnos ita inſtituit, ut quoties immortalitatis pharmacum deferri ſentirent ad morientes, æris campani admonente tinnitu, prodirent è ſuis ſcholis, & Litanias cantantes præirent ad eas, quò deferebatur, ædes.

Ad cultum Beatiffimæ Virginis propagandum, ſolebat, quancumque doctrinæ Chriſtianæ rudimenta explanabantur, inducere puerum, qui magna voce palam enarraret inſigne aliquod miraculum Deiparæ: qua ex narratione magnas percipi utilitates affirmabat. Hunc porro in iſtis prodigijs recitandis tenebat ordinem, ut celeberrimas quaſque Divæ Mariæ baſilicas, exempli cauſa Lauretanam, Aquifgranſem, Hallenſem, Carnotenſem, Monferratẽſem, aliaſque percurreret, & quæ in ſingulis præcipuè memoranda contigerant exponeret. Diem ſabbathi, qui Februarij clauderet, vitæ mortalis terminum habuit. Urgente gravius morbo, converſus ad B. Virginem, dolebat quòd nullum ipſa dulciſſimæ proli levamentum afferre potuiſſet, in duro trabis aſperæ ſtrato morienti; ſibi autem tot adeffent amici & fratres, quorum alloquio fruere, levaretur manibus, curis reficeretur. Arundinem, qua in tradendis Chriſtianæ doctrinæ principiis per annos XVII. uſus erat, eodem ſecum tumulo condi voluit: tantum in humili puerorum inſtitutione ſpei ad beatæ immortalitatis præmium reponeret! Rogatus paulo ante obitum nunquid vellet? Audire, inquit, pervelim novitios ſacram doctrinam, ut populo traditur, explicantes. Audivit, ac reviviſcere viſus eſt. Tanti vero Societatem, ac religioſam vocationem faciebat, ut in frequentiffima concione, cum verba faceret Kalendis Januarijs anni MDXCVIII, quo deceſſit Conimbricæ, pridie Kal. Martij, anno ætatis LXX. affirmare non dubitaverit ſe libenter traducturum reliquos vitæ dies, genibus humi fixis, & manibus in cælum ſublatis, ad ſolvendas Deo grates, quòd ſibi à puero ad eum uſque diem in Societate filij ſui vivere conceſſiſſet. Effuſa civitas ad viſendas & ornandas exequias, antiſtes, rector academix, religioſi cœtus, confluxerunt. Jam plerumque noctis proceſſerat, avelli templo populus vix potuit. Poſtridie domum noſtram irrupit, ſancti viri (ſic enim omnes & loquebantur & ſentiebant) exuvias direpturus. Ægrè per appoſitos milites cuſtodeſque ſubmotus, roſaria, imagines, ſudaria, ut ſaltem contactu pio quaſi conſecrarentur, tranſmiſit. Neque iſto die potuit humo contegi, ruente catervatim, & aditus omnes, quæ poterat efferri, obſidente multitudine; donec publicè denunciatum fuit differri ſonus in craſtinum. Sic dilapſis omnibus, multa nocte in paratum tumulum illatus eſt. Non falſam fuiſſe vulgi de illius virtute opinionem docuere prodigia poſt obitum edita, ſanati morbi, reſtituta lux oculis cæcutientibus; & alia ejus generis, quorum fides haud dubijs teſtibus nititur.

S. XXXIII.  
PP. BENEDICTUS  
PALMIUS, & CLEMENS  
PUTEANUS.

\* Anno 1546.

QUANTUM Ignatio Martinio Luſtania, tantumdem debuit Italia Benedicto Palmio, Parmenſi. In Societatem acceptus à S. Ignatio\*, eundem in tirocinio magiſtrum vitæ perfectioris habuit. Biennio poſt in Siciliam miſſus cum aliquot Socijs, Mamertini collegij fundamenta poſuit. Romam reverſus anno MDLIII. ibi, ac reliqua deinceps in Italia, vim dicendi, & animos, quo vellet, inclinandi admirabilem explicuit. Poſt adminiſtratam multis annis Longobardiæ, ut initio vocabatur, provinciam, quæ in Mediolanenſem & Venetam poſtea diviſa eſt, S. Franciſco Borgia & Everardo Mercuriano Societatem gubernantibus, Aſſiſtentiſ

stentis pro Italia munere functus est. Summa prudentiæ laude floruit, summa apud proceres gratia: qua tamen religiosè semper ac parcè usus est.

Cum libertatè Christiani oratoris & majestatem, modestiam in dicendo, & aptos movendis blandè animis affectus junxerat, eximias in divini verbi ministris excellentibus dotes. Nihil ipsi jucundius, nihil erat antiquius, quam multum ac diu versari cum Deo. Hinc illæ, quibus ardebant ejus conciones, flammæ; illæ quibus inter sacrificandum perfundebatur, delicia & lacrymæ. Extremum ætatis tempus transegit in collegio Ferrariensi\*, ubi utilissimum concionatoribus opus contexit, redactis in communes locos SS. Patrum testimoniis, Nam illis plurimum utebatur: inde rationum momenta, inde certa profigendis vitiis tela ducebat: quæ præter insitum robur, habent etiam grave pondus auctoritatis; ac scitè tractata, & vibrata, facilem oratoribus sacris victoriam pariunt.

Eadem dicendi laude præstitit P. Clemens Puteanus. Post varias Gallia urbes magno concursu audientium, nec minori utilitate lustratas, venit anno MDXCVIII. Burdigalam: ubi solitis Quadragenarii jejunii concionibus egregiè perfunctus in morbum incidit, eoque inter civium lacrymas extinctus est\*. Ad ejus exequias confluit populus eadem frequentia, licet non eodem vultu, quo ad illum audiendum concurrebat. Magna prudentiæ constantiæque laude provincias Aquitanicam & Francicam administraverat. Tria, cum in sacrificando divinam, attolleret hostiam, fertur solitus à Deo postulare: Ut ad extremum usque spiritum in Societate perseveraret: ut virginitatis intaminatum decus pariter conservaret: ac denique ut sanguinem pro Christo funderet. Cujus postremi voti non item compos, ut priorum, est factus: nisi forte martyrii genus quoddam existimetur quod gravissimis appetitus calumniis, & à complexu patriæ avulsus, ut Libro XII. narratum est\*, ætatem reliquam velut in exilio traduxerit. Labet hic atterere insigne testimonium, quod ejus virtuti & eloquentiæ tribuit Florimundus Raymundus Lib. V. Duo, inquit, præstantissimi omnium quos Gallia tulerit, concionatores existere: P. Edmundus Augerius Campanus, & P. Clemens Puteanus Parisinus; ambo à Societate IESU, ambo theologiæ ac philosophiæ cognitione insignes, & ad dicendum persuadendumque nati; adeo ut animos auditorum, velut argillam mollem aut ceram, fingerent ducerentque; lacrymas ex oculis, suspiria & gemitus ex intimis pectoribus elicerent, vel sflerent, arbitrato suo. Clementi Puteano inerat species oris & habitus corporis augustior; eloquentia proximè ad naturalem accedens, sine pigmentis & fuco; ampla & excelsa mens, nihil humile ac tritum cogitans; oratio rebus ac verbis locuples; tam blanda veritatis imitatrix, tam nativis coloribus picta, ut audientibus fastidium nunquam afferret. Quid multa? Puteanum laudare pro dignitate, nisi par ejus sacundia, nulla potest.

INTER homines Societatis de illa bene, litterisque, meritis numerari jure debet P. Horatius Turfellinus, Romanus\*; non minorem adeptus laudem bene Latine scribendi, quàm religiosè vivendi: innocens, modestus, commode comiterque de omnibus existimans; eruditus & laboriosus: id quod editi ab eo libri declarant, in quibus eminet accurati judicii limatum acumen, & dignus aureo Romanæ simplicitatis ævo nitor. In Societatem admittus anno MDLXII. ætatem produxit ad annum quartum & quinquagesimum. Romano Seminario rector præfuit, mox collegio Florentino, postremo Lauretano: quæ fuit illi causa Lauretanæ Historiæ perscribendæ. Complures annos docuit litteras humaniores: ac pertinere vehementer ad Societatis nostræ decus putabat, ut haberemus plurimos in iis excellentes. Tum, quid agat apud nos juventus religiosa, donec factis Ordinibus initietur, quod vulgo fit in Societate tardiùs, si labore isto litterario non distineatur? An non segni torpebit otio, veterumque contrahet, quem ægrè postmodum excutiet, quando severioribus opera danda studiis erit? Deinde, cum primos, qui tirocinium excipiunt, annos ut plurimum conteramus in schola ludoque puerili; quo tandem pacto docebit magister liberales disciplinas, si tardus in illis hebesque sit? quomodo & Societatis expectationi, & populorum, qui collegia in fidem nostram tradunt, votis respondebit? Hoc vero ita persuasum habebat Turfellinus, ut S. Francisco Borgiæ ultrò se obtulerit ad vitam omnem in ejusmodi bonis

52.

Dotes boni concionatoris. Ejusdem libri.

\*Ibi obiit die 14. Novembr. 1598. ætat. 72.

\*Natus annos 46.

\*Ætat. 37.

§.XXXIV.

PP. HORATIUS TURSELLINUS, & JOANNES BAPT. VAN NUS.

\*Obiit in collegio Romano, die 6. April.

A. C. 1599. Soc. 60.

53.

Quanti litterarum humaniorum studia in Societate faciendi.

nis artibus percipiendis & tradendis consumendam. Laudavit consilium S. Bor-  
gia, & multos imitatores Turfellini exoptavit.

P. Joannes Baptista Vaninus, Italus, eadem studia humanitatis cum sacrarum  
litterarum cognitione junxerat, utrisque præclare usus ad exagendam publicè  
ac privatim, viva voce ac scriptis, hæresim. Neque illam ratione tantum vince-  
bat ac verbis; sed portentis factisque grandibus domabat. Pervicax hæreticus  
& sacri cœmeterii contemptor, jumentum ibi pascere pergebat, licet sæpe moni-  
tus ut abstineret. Pater suis apud Deum precibus effecit ut poena hero debita  
verteretur in pecudem; quæ sepulcreto egrediens cervicem fregit. Cum in oppido  
quodam solennis, in qua Christi corpus ad venerationem deportabatur, suppli-  
catio procederet; ægerrimè tulit ludios obstrepere publicæ pietati, & in eos gra-  
viter invecus, ultorem Deum protervis histrionibus interminatus est. Justam in-  
dignationem cœlum approbavit. Tignis, quibus theatrum fulciebatur, solutis sce-  
na tragica funestum sortita est exitum. Puella, quæ principem gerebat personam,  
actoris eadem primarii & poetæ filia, solo allisa & exanimata corruit: parens, sive  
luctu amissæ filia, sive morbo, statim oppressus, & à medicis depositus, agnovit  
delictum; & opem Vanini supplex oravit. Benignè respondit Pater daturum se  
operam, ut reo veniam sceleris annuerent Superi: ceterum ut poenæ abiret im-  
munis effici non posse; nec refingendam, quæ lata jam in illum erat à supremo ju-  
dice, capitis sententiam. Valuit ea mors, & poena impietatis, apud hæreticos pa-  
riter, & catholicos: utrosque salutari terrore complevit. Cum inutilem senectam  
in Montis-regalis collegio trahere sibi videretur, Deum oravit supplex ut se ter-  
ris eriperet. Correptus febris rectorem vocat, suasque preces auditas refert. Ex-  
palluit ad æternitatis limen; easque voces iterans, *Ego justitias judicabo*\*, metu  
& horrore adstantes perfudit. Confirmatus tamen recordatione divinæ bonitatis,  
& vitæ in Societate aetæ conscientia, latus ultimam lineam transiit.

\* Psalm. 74.

S. XXXV.

P. PETRUS FON-  
SECA.

IN P. Petro Fonseca nescias utrum mirari magis liceat rerum quas gessit am-  
plitudinem, & negotiorum quæ administravit gravitatem; an mentis inter tot cu-  
ras tranquillitatem, & in tuenda religiosæ vitæ disciplina constantiam. A Rege  
Lusitanæ delectus est, qui, cum primariis quibusdam & spectatæ probitatis ac pru-  
dentia viris, præficeret coercendæ morum licentiæ: idem exequendo Mariæ, Regis  
Emmanuelis filia, testamento præpositus: demum nominatus Japoniæ antistes fuit,  
quem nihilominus honorem, sive potius, ut censebat, onus, excussit. Singulari  
quoque apud Gregorium XIII. gratia floruit, qui sua cum illo communicare con-  
silia, & pleraque majoris ad publicam rem momenti credere ipsi non dubitabat.  
Nec minoris eundem faciebat Societas, quæ illum regendo Conimbricensi colle-  
gio, domui Professorum Olisipponensi gubernandæ, inspiciendæ toti Lusitanæ pro-  
vinciæ præfecit. Quandiu Everardus Mercurianus Societatis gubernacula tenuit,  
randiu apud eum Assistentis munus gessit. Tribus generalibus Ordinis nostri co-  
mitiis interfuit cum jure suffragii. Tot muneribus obeundis idoneum præstabant  
ingenii excellentis perspicacia, quam in explicandis philosophorum arcanis lucu-  
lenter exprompsit, ut editi ab eo libri docent: tum solers & efficax in agendo  
prudentia, quæ ibi exitum reperiebat, ubi clausa omnia & obstructa videbantur.  
In quo eos solebat reprehendere, qui toti essent in accusandis negotiorum impru-  
dentibus exordiis, & neglectis rei bene gerendæ occasionibus: cum diceret latius  
esse male incepta corrigere, quàm id, quod infectum esse non posset, deplorare.

Inter gravissimas occupationes quibus distinebatur, servabat fixam ac propè  
immutabilem quotidianæ vitæ descriptionem, & definita sacrificio, precatiori, Au-  
diis, & temporibus; quod animi bene compositi certissimum argumentum est: longè  
illis dissimilis, qui cæco impetu cuncta moliuntur, & quocumque præservidæ  
mentis æstus detulit, eò præcipitant; diemque nocti, sacras occupationes profa-  
nis, intemperantissima levitate permiscunt. Id vitium ut Fonseca fugeret, sibi res,  
non se rebus submittere studebat; illarum, ac suimet ipsius semper potens & ar-  
biter. Quamobrem satis superque ad plurima, divinam spectantia gloriam & utili-  
tatem proximorum, exequenda reperiebat otii & facultatis. Professorum Olisippo-  
nensem domum amplificavit; absolvit templum & ornavit: locum domui proba-  
tionis

54.  
Religiola vitæ  
constans & æ-  
quabilis tenor.  
Facinoris heroi-  
ci merces.

tionis ædificandæ, superatis difficultatibus gravissimis, paravit: excitavit à fundamentis domicilium quo recipere Mauri, Americani, & barbari, quicumque Christiana cuperent amplecti sacra, simulque arcessendos Olisipponem ex omnibus Europæ partibus sacerdotes nostros curavit, qui popularium in hoc nobilissimo emporio suorum curam gererent. Idem domos extruxit virginibus orbis, egen-tibus, destitutis; aliasque feminis à flagitio revocatis: quas legibus optimis comunitas, firmavit vestigalibus. Florentissimum etiam S. Marthæ cœnobium magna ex parte fundavit. Seminarium posuit Hibernis adolescentibus: effecit ut certæ sedes erroribus & mendicis attribuerentur: ut comœdi & obscenarum actorum fabularum è Lusitania exterminarentur: ut mercatores servitia per vim abacta è longinquis oris ne deportarent in Europam, ac venalia proponerent. Inter hæc non leviorem collegiorum, quæ gubernabat, vel provinciarum, gerebat curam; custos disciplinæ attentus, non asper; efficax, non tetricus. Quos errati pe-nitebat, eos ita complectebatur, tanquam si ab illis beneficium accepisset: in ægrotis visendis frequens, in relevandis comi alloquio mœrentibus perurbanus; honorificè loquens de omnibus; omnium non modo incolunitati, sed commodis ac dignitati, quoad licebat, consulens.

Talem ac tantum olim fore P. Fonseca conjicere licuit ex uno ejusdem adhuc adolescentis facto, cujus merces fortasse fuerit consequentis vitæ virtus & gloria. Sic enim accepimus, multorum sæpe virtutem sanctorum, unius alicujus facinoris præclari nixam radicibus, ad eximie perfectionis fastigium se extulisse. Ibat cum Ignatio Azebedio, doctrinam Christianam vicino in pago traditurus: incidit in hominem lepris, ulceribus, sordibus, coopertum. Manus pedesque magnam partem purulentam scabies exederat: albicans fœde cutis sanie & cruore manabat. Consistunt ad aspectum vivi cadaveris, & læti occasione divinitus oblata exercendæ caritatis ac patientiæ, in proximam casam deportant putridum pondus; tabum ac fæces in quibus volutabatur, abstergunt; collocant in lectulo; emendicata ostiatim stipe ditant; cibis in os ingestis blande pascunt; mercedis loco accipiunt ab eodem mucidi panis frustra, uncta sanie, ac strumosi oris fetente spuma: quorum partem ipsi sumpserunt, partem cum Sociis, qui ad opus Evangelicum in eundem pagum interim convenerant, diviserunt. Hic primus veluti gradus Fonseca fuit ad perfectam & numeris omnibus absolutam virtutem; cujus præmium adeptus est pridie Nonas Novemb. annos emensus unum & septuaginta: quorum LI. in Societate confecerat, in eam adlectus anno MDXLVIII. Primus Aristotelem in academia Conimbricensi explicuit\*: primus ad conciliandam cum efficacia divinæ gratiæ voluntatis humanæ libertatem, scientiam mediam usurpavit, ut ipse testatur\*: quam postea sententiam Molina, Suares, Vasques, aliique scriptis uberius illustrarunt.

\* Anno 1555.

\*Tom. 3. Metaph. lib. VI. c. 2. q. 4. scilicet. 8.

PAULO diversam, neque ita communem virtutis arduæ viam sectatus est P. Joannes de Castillo: nec referrem quæ nostra de illo monumenta produnt, nisi operæ esse arbitrarer cognoscere, quàm sint aliquando à vulgari hominum intelligentia disjuncti, quàm asperi sæpe calles, per quos sapiens Numinis providentia fideles animas & fortes ducit. Marcet nimirum sine adversario virtus; neque ille, cujus patientia celebratur, præcæ legis heros; aut legis Evangelicæ fidus clarissimum, idemque inclytus Ægypti silvarum hospes, dignum coelo fuissent spectaculum; nisi uterque, cum hoste Tartareo veluti compositus, ostendisset quid mortalis infirmitas, à Deo corroborata, possit. Eundem hostem Patri Castillo Deus objecit. Primam ætatem egerat in aula Francisci Sarmienti Episcopi Asturicensis: à quo sacerdos creatus, intimisque consiliis adhibitus, magnam, nec immerito, spem in optimi præsulis beneficentia propositam habebat; Ecclesiasticis honoribus & bonis, propter virtutem doctrinamque, dignissimus. At cœlesti luce collustratus, Christi paupertatem & humilitatem splendori opulentæ domus, in qua natus erat, & dignitatibus opibusque vel sanctissimè quasitis prætulit in Societate. Tirocinium feliciter auspiciatus, tacitis arcanisque vocibus impelli se sensit ut Deo, ad rem quampiam difficilem & insolitam, promptum paratumque se offerret. Resistantem stimuli tam acres urgebant, nullam ut partem diurne quietis

§. XXXVI.  
P. JOANNES CASTILLUS: & FRANCISCUS A VILLA REGALI.

quietis aut nocturnæ caperet. Cessit ad extremum: & cum rem divinam aliquando faceret, Christo instanti ac fausta omnia pollicenti se permisit. Eam voluntatem tanta vis repente cœlestis gaudii, tam certa auxilii divini semper adfuturi fiducia est consecuta, nullum ut ipsi ejusque moderatoribus, quos nihil celabat, dubium relinqueretur quin *hic digitus Dei* esset.

55.  
Ab Erebi satellitibus dirè vexatur. Quenam illis arma opposuerit.

Peracto sacrificio, cum se reciperet in cubiculum, irrupit cum illo Stygiùm agmen, horribiles formæ, monstra immania, uncis, fustibus, loris armata; quibus proludere cœperunt. Exarsit carnificum furor, patientiâ & fortitudine religiosi tironis irritatus. Redeunt, aucto agmine, consecutis diebus; raptant, cadunt, lacerant. Augebatur simul divinus favor: dabant se in conspectum cœlo delapsi cœlites; ipse Christus cum Virgine Matre, suum athletam solabatur, & erigebat.

Principio nequissimi spiritus id ab illo unice vehementerque petierunt, ut à Societate descisceret: ita se demum ab eo recessuros. Risit promissa fortis novitius: illi minas & verbera ingeminarunt. Sed cum nihil proficerent, eò vim Tartaream & artes contulere, ut orationem illi extorquerent, religiosæ scilicet militiæ clypeum. Itaque cum ad meditandum se accingeret, contentus edebant ridiculos, ducebant Avernales choreas; cachinnis, rugitibus, sibilis, aures implebant, ut pœne obsurdesceret. Quin, spurcos sales, ac sceleratas cantiones auribus castis ingerebant: interdum fauces ac spiritum intercludebant, ne oraret. Pergebat orare nihilominus, & histriones impios contemnebat. Majus igitur aliquid aggressi, manus pedesque torpore novo sic ligant, ut movere se nulla ratione posset; nec solitis, quas usurpant tirones, precationibus interesse. Tulit id molestè magister novitiorum; ac Joannem, ut fanaticum, graviter increpuit: agnovit ipse postea tamen periculo quodam suo & experimento doctus, hæc nequaquam vana mentis agræ somnia esse. Quamobrem nihil dubitans quin novitius à malo demone possessus esset, clam evocat Salmanticâ sacerdotem è nostris unum, in tractandis ejusmodi hominibus exercitatissimum. Is sacra recitat carmina; jubet Orci satellitem nefarium facessere; imperat etiam ut certum edat, quo abiisse cognoscatur, indicium. Luctatus diu dæmon, signum imperatum dedit; extinctâ facelli domestici, ubi hæc peragebantur, lucernâ. Lætus novitiorum magister, bono animo tironem suum esse jubet, quasi penitus à dira servitute vindicatum. At ille regressus in cubiculum furvam phalangem deprehendit, gestientem miris modis ac triumphantem, quòd magistro novitiorum imposuisset.

Rursum ergo vexari, rursum crudeles excipere furias. Quod ubi resciverunt Patres, diu dubitatum est an, exacto biennio, vota consueta nuncupare sineretur, an dimitteretur è Societate. Videbant insignem hominis constantiam, cum humilitate, obedientia, prudentiaque non vulgari conjunctam. Omnibus penitentis, edere vota jussus, & Metinam-campensem profectus, egregias dotes, quibus ad implendos omnes præconis Evangelici numeros pollebat, in variis Missionibus exprompsit, quotidiano prope miraculo. Licet enim noctes totas, ac dies interdum, excruciatu fuisset, nec per satellites Erebi suppeteret otium conciones præparandi; tamen, ubi dicendum erat publicè, ubi carpendum iter, aut suscipiendus aliquis pro aliena salute labor; confestim alacer, expeditus, ac vegetus profilliebat. Quanto vero majorem & utiliozem proximis navabat operam, tanto sævientium hostium impetus acriores experiebatur: cumque afflueret antea cœlestis consolatio, & animos adderet: ea sensim exaruit. Tetram ejus menti noctem iniecit *rector tenebrarum*, voluntati vero fastidium rerum divinarum, ac tædia. Mærenti & perturbato insultabat *homo inimicus*, aberrationes mentis inter orandum, & sinceritatem duri pectoris exprobrans: congeriebat impias voces ex odio, quo in Deum flagrat, depromptas; & contumeliosa in divinam bonitatem maledicta immundis faucibus evomebat: oculis infanda objiciebat spectacula; instabat diu, noctu, vigili, atrox, indefessus, adeo ut pœnè se in inferis versari Dei famulus crederet, ac sæpe sub illam luctationem viribus defectus, prostratusque reperiretur.

Ex iis quæ dixi hæcenus satis patet quid maxime dæmon oderit; quo ejus consilia cogitationesque collineent; quid illi vicissim opponendum sit: nempe sinceritas & candor in aperienda rectoribus animorum nostrorum conscientia; ora-

tio frequens; constantis animi robur, à sanctissima Dei voluntate pendens; eam, quidquid accidit in vita, unam respicientis: demum Beatissima Virginis nomen, ac tutela. Quippe Averni princeps ultro confessus est non aliam magis ob causam se internecinas cum Castillo gessisse inimicitias, quam quod Mariæ cultor eximius à puero fuisset. Hos inter labores egregius pugil vitam usque ad annum MDXCIX. produxit: quo victor, & hosti Tartareo insultans, promissam legitime certantibus coronam, ut confidimus, accepit\*. Neque est cur quisquam ad mentionem tam insolentis ac tetri belli exhorrescat: periculi sæpe plus est, cum hostis noster, citra tumultum & jactationem, occulta movet arma; vel quando blandimentis vitiorum, & cupiditatum lenociniis pugnat; quam cum apertè crudeliterque furit. Illic fallax & insidiosa securitas; hic salutaris metus. Ut ut est, five clam, five palam, nos impugnet; blandiatur an sæviat; hæc est mortalis vitæ conditio, ut semper pugnandum, semper vincendum, aut miserimè pereundum sit.

Hæc arma Christianæ militiæ feliciter ac diu tractavit Frater Franciscus a Villaregali, Hispanus. Ante quam iniret Societatem, navaverat operam regio scribæ senatus Granatensis. Auditis concionibus P. Joannis Baptistæ Sancio, spes humanas & incerta vota valere jussit. Missus in Floridam à S. Francisco Borgia, Præposito Generali Societatis, sex annos ea in regione inter quotidiana capitis pericula, inter insidias & odia barbarorum, in summa rerum omnium egestate contrivit. Inde Mexicum delatus, novitiis in domo probationis diu incitamento fuit & exemplo. Ternas mane divinis rebus mente agitandis horas transigebat: totidem post meridiem; noctu vero quaternas. Callum genibus obduxerat precandi consuetudo. Lectum vulgò dabat humus, aut dura tabula; lapis cervical; cibum aridus panis. Sæpe in eodem consistens & immotus loco, erecto vultu, mente in Deum defixa; sæpe in superiori ædium parte, nocturni cœli ac siderum speciem, manantibus præ gaudio lacrymis, contemplan, deprehendebatur. Ex usu frequenti Eucharistiæ, qua singulis hebdomadis ter pascebatur, & meditando Christi Domini præclaris dotibus, tantum ejus hauserat amorem, ut de illo conticescere non posse videretur: ad hunc amandum obvios, notos, ignotosque accendebat: adeo ut Christi JESU laudator passim audiret, nec alia voce compellatur ab omnibus, proprio illius nomine oblitterato. In forum ac plateas frequens prodibat, ubi ad concurrentem multitudinem, apparatu quidem nullo, sed ordine tamen ac prudentia singulari verba faciebat; tanto vero ardore pietatis, ut perditissimi quique, dejectis oculis, & percutientes pectora sua, recederent. Nec animarum tantum incolunitati serviebat; sed etiam corporum. Observaverat vinetos publico in ergastulo aquæ penuria laborare: perfecit ut lixæ conducerentur qui aquam conveherent: ipse juncto ad plaustrum jumento dolium remoto implebat fonte, ac per civitatis ora in custodiam deducebat. Mira ægrotos caritate complectebatur: & illis operam impensius addicebat, qui omnium maximè desituti essent. Adolescentis Indi crus diro viperæ morsu sic intumuerat, ut purulento manaret ulcere, cujus fetorem nemo ferre poterat. Hunc sibi curandum Franciscus noster sumpsit, & in sugenda cruris infecti sanie S. Francisci Xaverii, & Catharina Senensis exempla renovavit. Morbo vel alio aliquo incommodo laborantibus pie invidèbat; omnium dolores in se derivare gestiens, nec finem ullum, faciens sui divexandi: hoc uno molestus conscientiæ moderatoribus; cum isti, ut sibi parceret instarent, & aliquid ætati condonaret; ille novas patendi rationes ubique aucuparetur. Obiit VI. Idus Januar. in collegio Mexicano.

In P. Ludovico Molina scriptores multi multa laudaverunt. Alii vim ejus ingenii, maximis difficultatibus perrumpendis parem; alii amplitudinem, arcana scientiæ naturalis, mysteria sacra doctrinæ, legum nodos, juris ænigmata, complexam: alii fecunditatem, de suo promentem omnia quasi fundo, non aliunde corrogata vel sublecta mutuantes: alii religiosam in opinionum delectu severitatem, qua spretis laxioribus, tutiores fermè, & virtuti legique amiciores, amplectebatur: alii amorem veritatis ac prope venerationem, ita ut ab ea nec odio nec amore deflueret; ac ne auctoritatem quidem alienam, nisi ratione solida fultam,

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

M m m m

ad-

*Præcipue in his  
nihil... o insidiosus  
ostendit auctori!*

\* Die 4. Maii.

56.

Religiosa mortificatio, studiū orationis, amor erga Christum Dominum.

*nimirum quia eo illo,  
semper in maiore  
noto præclaris dotibus.*

§. XXXVII.  
P. P. LUDOVICUS  
MOLINA, & THOMAS  
DE SOTO.

A. C. 1600.  
Soc. 61.

admitteret: alii laborem indefessum, quo viginti annos divinam scientiam tradidit Eboræ, vitamque omnem in studio pertinaci consumpsit; alii prudentissimam in scribendo decidendoque cunctationem; cum diu multumque secum ipse, cumque doctis & sapientibus viris agitare, quæcumque in lucem editurus erat.

57.  
Ejus præcipuæ  
quadam virtutes.

\*Lege Bibliothec.  
Script. Societat.

Hæ dotes egregiæ fuerunt ab externis cognita ac laudatæ\*: alia propioribus amicis, & quotidiana vitæ testibus notiores, non minorem merentur laudem: nempe assidua precandi cura, & cœlestis lumen, afflictatione crebra corporis impetrandi; humanæ gloriæ contemptus, publicæ lucis ac laudis fuga. Itaque, cum ab eo doctores emeriti consilia, magistratus normam iudicandi, sacerdotes documenta vivendi sentiendique, peterent; unus ipse sibi esse videbatur ignorus, & id unum studere ut animi elationem, quæ docti vulgò instaurant, humilitatis pondere deprimeret; avide captans quidquid domi forisve abjectum & infimum occurrebat; de se modestè ac parcè, de aliis honorificè semper prædicans; latère ubique ac nesciri gaudens, licet eum ingenii lux & eruditionis invitum sapere proderet: quemadmodum accidit Madriti, ubi ejus frater gravi, at dubio crimine accusatus, in capitis certissimum periculum venerat. Audivit Molina, & regiam in urbem accurrit, Madritum attingit eo ipso die, quo de fratris causa iudices pronunciaturi convenerant. Causidicus peroraverat: jam nigri fœralem in urnam lapilli demittebantur. Molina veniam dicendi petit. Dixit; leges implicitissimas explicuit, obscuras illustravit, abditas eruit; stupente curia, & hospitium religiosum, in hac palæstra juris adeo peritum, arreptis auribus auscultante, Vicit causam, nigros calculos candidis iudices mutaverunt: statimque incessit omnes cupidò cognoscendi oratoris egregii. Subduxerat se famæ. Sed ubi è collegio rescitum fuit Molinam hunc esse; tum vero, triumphantis ritu, in curiam est reductus; & primis in subelliis collocatus, ea coactus est audire, quæ pudorem ejus ac modestiam non leviter onerarent. Neque parior exiit in eo commodorum vitæ omnium fuga, quàm honorum. Evangelicam paupertatem spirabat ejus cubiculum: valetudinem jejuniis, ceterisque poenitentia armis jam inde à primo tirocinio, quod inivit anno MDLIII. vehementer debilitaverat. Septem octove postremis vitæ annis, levatus docendi labore, ad scribendi curam se contulerat: sed Madritum Conchâ, quod illi natale oppidum fuit, evocatus ad auspiciandam feliciter scholam de moribus theologicam, recens fundatam; sexto post mense, quàm accesserat, excessit, IV. Idus Octobris anno MDC, ætatis LXV.

P. Thomas de Soto, Toletanus, traditus fuerat à parentibus in disciplinam ludimagistro, non minus eruditionis, quàm probitatis eximie fama celebrato. Ab hac schola Thomas noster cum ceteras virtutes, tum insignem in pauperes misericordiam hausit, etiam antè quam Societati nomen daret; eos vicatim queritans, sæpe intempesta nocte, ac deportandos in nosocomium curans: aut deducens domum, ubi ipsis tanquam Christo ministrabat. Pontificii juris donatus laurea, sacros Ordines eò maturius libentiùsque suscepit, quòd videret egenorum turbam carere sacerdotibus, à quibus peccata confitentes audirentur. Extinctis parentibus, fortunarum partem pauperibus, partem domui Toletanae, seque totum Christo, in ejus Societate, dedit anno MDLXIII. ipse quintum & quadragesimum æmensus. Tum enimvero, quasi à carceribus exorsus, ad virtutis perfectæ metam alacritate mira contendit; utque mens esset expeditior, corpori bellum inexpiabile indixit. Sæpe opus medico & chirurgo fuit ad sananda vulnera, quibus artus imbecillos laniabat. Nunc se collo tenuis immergebat in aquam, hyeme asperrima; nunc dies quaternos quinosve perstabat sine ullo potu oleum, salem, aliaque ciborum condimenta omnino respuebat. Cubiculum, angustus cavus; humus aut tabula, cubile. Accedebant molestissimi scrupulorum, tentationum, arida mentis, aculei: nec deerant crudelia cum hostibus animarum certamina. Fruebatur, post reportatam patientia & humilitate victoriam, suavissima pace, ac cœlestium ubertate deliciarum: nec semel videndum se illi Christus obtulit, maximisque beneficiis fidelem servum muneratus est. Comes de Arcos agrotantem gravissime filiolum ipsi, ad rem divinam faciendam progredienti

58.  
Mortificationis  
& patientiæ exempla.

com-

commendaverat: peracto sacrificio, solutus morbo periculoque puer fuit. Mulierem oculis captam, Evangelio recitato, persanavit. Magna pollebat auctoritate ad dissidentes in concordiam reducendos; ad avocandas à sœdo quæstu mulierculas; ad infringendam improborum in flagitiis hærentium duritiem. Itaque per annos XXX. per quos in sacro pœnitentiæ tribunali sedit assiduus, dici non potest quantam vim hominibus à scelere ad pietatem traduxerit. Supremo languentem morbo, ac sævis torminibus vexatum, Christus JESUS cruce onustus ad patientiam & spem vitæ immortalis crexit\*. Non cessabat ipse interim sua peccata dolentius accusare, ac singulis diebus non semel sacerdoti aperire, illas voces identidem repetens: *Qui justus est justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc*.\*

EODEM pœnitentiæ spiritu ductus P. Henricus Henriquez, Lusitanus, extremo in morbo bis quotidie noxas ad judicium sacerdotis deferebat. Quandiu vero per æratem ac valetudinem licuit, in omnem aliquid pro Christo patiendi occasione imminerebat: negans religiosum appellari virum posse, qui non aliquam ejusmodi quotidie lineam duceret. Oram Piscariam, cujus demandatam à S. Franc. Xaverio curam, unâ cum P. Antonio Criminale, susceperat, per annos LIII. excoluit: nobile adeptus cognomentum, ut Comorinensium Apostolus vocaretur. A barbaris multa & dira passus; ab iis aliquando catena brevior iniecta pedibus & collo, sic ligatus est, ut in globi modum toto corpore curvaretur. Celebratur magno indigenarum concursu ejus sepulcrum in oppido Punicali, ubi confectis annis LXXX. obiit VIII. Id. Febr. vel, ut alii scribunt, Kalendis Martiis.

Haud leviora passus est ab hæreticis P. Didacus de Santiago, quàm P. Henriquez à barbaris. Commisso à Batavis ante portum Manilanum prælio, fere omnes qui vehebantur eadem secum navi consistentes audiverat; jamque enataturus, ut hostes imminentes effugeret, vocatus est à centurione graviter vulnerato: restitit in navi, ut morientem expiaret. Ibi vel trucidatus, vel demersus, nusquam postea comparuit. Vix annum trigésimum excefferat.

FRANCISCUS Caetanus, virtutum numero paucitatem annorum, quos egit in religiosæ vitæ stadio, pensavit; earumque splendore claritatem generis illustravit, quod ex paterna maternaque stirpe inclytum ducebat. Vix decennis puer totum se Christo consecraverat, sequestra Virgine, institueratque jam tum sexta quaque feria ejusdem Christi dolores colere jejunio: quem deinde, dum vixit, morem servavit. Adjecit etiam illud, ut singulis horis Virginem Matrem & JESUM patientem saluaret. Sic inter Filii vulnera, & Matris ubera, quasi medius, hinc lactis, inde sanguinis, pio perfusus liquore, voluptatum illecebras, quæ mendacitæ suavitatem juvenutem inescant, fastidivit: aliosque ad easdem fugiendas perduxit. Jam enim flagrabat studio servandarum animarum: nec dubitavit aureum torquem, præmium ludicræ sponsonis, qua feliciter æmulos vicerat, conferre ad puellæ pudorem in tuto collocandum. Haud minus honoris quàm voluptatis contemptor, gaudebat manticam vilem, inter æqualium sannas & joca, ostiatim circumferre, ac stipem, qua miseriam levaret alienam, corrogare.

Hos mores quæ vita potius decebat, quàm quæ à rerum caducarum illecebris longissimè disjuncta, Deoque arctissimè conjuncta est? Huc illum indoles & natura felix, huc vocabat gratia. Nec elabi tamen hanc sibi prædam sine certamine passus est hostis animarum: sed tragicam austerioris vitæ scenam oculis juvenilibus objectare cœpit, ac blandas vitæ liberalis & honoratæ imagines proponere. Hoc æstu fallacis tristitiæ pariter ac lætitiæ jactatus aliquandiu Caetanus fluctuavit: donec ipse se colligens, implorato cœlesti lumine, animadvertit illas fluxarum rerum cogitationes, ingressus quidem habere non injucundos, ac in mœrorem sensim tædiumque velut acescere: contra vero cœlestes ac pias, à principiis amarioribus in solida gaudia desinere. Quo ex discrimine diversos ambarum auctores agnovit. Ex eadem animi serenitate divinam, quæ ipsum Ignatio filium destinaverat, voluntatem est auguratus: cum post diuturnam precationem & afflictationem corporis, susceptum Societatis eligendæ consilium vis tanta lætitiæ cœlestis est secuta, ut hanc mentem sibi divinitus injectam fuisse mi.

\* Decessit 13. Kal. Septemb. anno aetat. 96.

\* Apocal. 22.

§. XXXVIII.  
PP. HENRICUS  
HENRIQUES, &  
DIDACUS DE  
SANTIAGO.

§. XXXIX.  
FRANCISCUS  
CAETANUS.

A. C. 1601.  
Soc. 62.

59.  
Ejus vocatio ad Societatem, pietas in tirocinio, labor in litteris, patientia in morbo.

minimè dubitaverit. Itaque paterna domo relicta, fortunis magnam partem ingenos distribuitis, Messanam ad Societatis tirocinium properavit. Qui religiosæ vitæ palæstram capessunt, ita fere persuasum habent, summam perfectæ virtutis & mortificationis in macerando corpore domandoque constare. Quod etsi longè est securus, ea tamen carnis maceratio non parum affert præsidii ad delendas vitæ superioris maculas; ad coercendam cupiditatum licentiam; ad præparandum veris virtutibus animi velut solum, extirpato vitiorum lolio. Caetanus ea tironum opinione imbutus, omnem principio industriam contulit ad corpus edomandum, qua in arte jam erat exercitatissimus; tantamque ex amore Dei & odio sui col-legit patiendi, seque voluntariis pœnis discrucianti sitim, ut eam restinguere nihil posset. Statuit modum magister tirocinii, ac docuit parcendum aliquando corpori, animo non item: hujus cupiditates nonnunquam remanere indomitas in corpore domito ac debilitato: in iis frangendis operam utilius poni ac sanctius. Non ablatam patiendi occasionem, sed mutatam, latus tiro vidit: ac bellum secum ipse suisque cupiditatibus capitale suscepit: ubique voluntati suæ adversari: emergentia desideria, rerum etiam bonarum, si essent vehementiora iusto, vel à sanctissimis obedientiæ legibus paulum discederent, comprimere: frenos cogitationibus ultro citroque evagantibus injicere: deligere in nosocomio, cum illuc ire jubebatur, maxime omnium fetidos, stomachosos, putridos: iis applicare se ac dedere: ciborum condimenta domi fugere: herbas oleo suo & sale defraudare: oculos, nisi ad usum necessarium, non adhibere. Cumque Messanensis tirocinii domus in amœnissimo clivo sedeat, unde in vernantes late campos, & vicinum mare prospectus patet, cujus fruendi studio cives & advenæ illuc identidem ventitant; Caetanus adduci ne semel quidem potuit, ut ea se amcenitate cursim oblectaret. Ita res humanas, quascumque miratur vulgus, despiciebat, ut nihil præter æternas ac divinas curare, nihil amare, videretur. Hac voluptatum, etiam innocentium, fugâ majores delicias emebat, in rerum divinarum meditatione hauriendas. Sic enim fit; cœleste illud balsamum in animos infundi nostros nequit, nisi prius ex illis terrenarum delectationum insulsus liquor omnino defundatur. Itaque Caetanus arctissima cum Deo familiaritate conjunctus, illum præ oculis habebat semper; in ejus amplexu dulcissimo acquiescebat; à se ipso quem unice oderat, in eum quem diligebat unice, quasi transfusus. Hinc illæ dulces lacrymæ, quibus distillabat, quoties oraret, aut aliquid aliud religionis officium obiret; ille animus in cœlestium rerum contemplatione defixus, abductus à sensibus, & sui planè suorumque oblitus.

Haud aliam inivit vivendi rationem, cum Panormi, post decursum tirocinium, elementa sermonis Latini pueros docuit: non ab illis litterarii magis pensis, quam à se religiosi cujuslibet muneris, rationem exigens: verborum parcus, avarus temporis; precandi, quantum muneris impositi lex ferebat, semper avidus: sic totus in studio litterarum, ut in perfectæ virtutis studio totus esset. Messanam traductus philosophiæ cognoscendæ causa, nullam ab molesto dictata excipiendi labore, quo suam valetudinem plurimum atteri sentiebat, vacationem expetiit. Gravissimum capitis dolorem serenitate modestissimi vultus dissimulavit, quandiu per vires licuit: quibus demum fractis, à studendi contentione, lyceoque philosophico, remotus est. Perditam valetudinem æquissimo animo tulit, haudquaquam se minus utilem Societati fore judicans, si vir bonus ac sanctus, quàm si doctus, aut alia quapiam instructus dote, foret: contra atque nonnulli existimant, qui sibi videntur inutiles ac prope nulli esse, cum ipsos ad agendum studendumque necessaria valetudo destituit. Nunquam deest bene ac multum agendi facultas, si bene quod licet agendi voluntas adest.

Ab illo superiorum scholarum culmine iterum ad infimum grammaticæ ludum descendere coactus, de pristina sedulitate atque industria nihil remisit. Sed sive morbi vis intestina pectus depasceret, sive nova contentio laboris vires obtudisset, rursus succubuit. Æstuosa febris, tum è febri phthisis, quod supererat virium, ac vitam ipsam, paulatim carpsit. Cum æger nauseansque stomachus cibos omnes respueret; accidit aliquando ut nescio quid obsonii cupidius acciperet.

peret. Lætus valetudinarii præfectus observavit cibum, ut similem deinceps apponeret; ac paululum, experiendi gratia, degustavit. Frustulum rancidæ carnis esse deprehendit, per imprudentiam allatum; & quid Caetani palato tam dulciter saperet, sensit. Infinitus sim, si recensere velim sexcentas artes, quibus inexhaustam sui divexandi aviditatem explebat. Hoc universè prædicari ac vere potest, nullam ab eo prætermisam occasionem negandæ sensibus cujuscumque voluptatis, quam illis prudenter ac piè subduci posse judicaret: cum apud se statueret, tantum supremo Numini accessurum honoris, tantum sibi ad assequendam religiosæ vitæ perfectionem facultatis, quantum voluptatis genio demeret: atque hanc sibi veniam à nostris dari legibus existimabat, quæ continuam nobis abnegationem & mortificationem præcipiunt. Confectum macie corpusculum vix hærebatur ossibus: arida sitis urebat fauces, pectus anhela tussis laniabat: nullus interea gemitus, ac ne doloris quidem signum: eadem oris hilaritas; animus cœlesti læticia delibutus; plenus divinarum laudum sermo, cum gratias immortales agere non cessaret amantissimo Servatori, quòd immerenti servulo suæ Crucis particulam impertiret. Cum eodem, ejusque Matre Virgine, colloqui suavissime perrexerat ad extremum usque spiritum, quem in utriusque sinum effudit XII. Kal. Maias, exeunte feria sexta majoris hebdomadæ. Addiderat menses quinque ad annos unum & triginta, quorum octonos in Societate transmiserat.

Morbo potius, quàm vita defunctum dixisses, adeo venusta facies apparuit. Confluxit ad funus civitas: eoque apertius ad celebrandas ejus virtutes omnium studia, quasi Numinis instinctu, conspirarunt; quo fuerat ipse in iis occultandis sagacior. Hoc vero illi minime arduum erat. Assuetus enim infinita naturæ divinæ decora & ornamenta, nec non sanctorum heroica facinora contemplari, cum oculos ad se se referret, nihil non mancum & imperfectum intuebatur: ut qui magno versantur in lumine, cum ab eo recedunt, meras umbras vident. Porro qui sua tam acutè cernebat errata, in alienis cæcutiebat: nec sermonem de cujusquam delicto inferre unquam est observatus; nec aliunde illatum verbo nutuque promoveret. Deo intus docente cognoverat paucos idcirco ad perfectæ virtutis culmen assurgere, quia pauci data divinitus bona Deo referrent accepta: quia multi ob ea placerent sibi, se potiores aliis ducerent; judicandi condemnandique ceteros auctoritatem sibi temere arrogarent. In quo ipse tam religiosus ac parcus erat, nihil ut fugeret attentius, quam ne quid iniquæ suspensionis de quoquam ulla ratione susciperet. Qui vero sic adversus quoslibet, etiam infimos, comparatus erat, pronum est intelligere quo esset animo erga superiores. De suis rebus nec statuere quidquam, nec designare audebat: imo ne deprecatorum quidem pro se apud moderatores ire patiebatur; cum ab ipsorum ductu imperiisque pendere unice cuperet. Quamvis Instituti nostri regulas omnes summa servaret cura, tamen impensius aliquanto studium conferebat in minimas; quippe neglectui propiores, non suâ quidem naturâ, sed hominum vitio; quorum in minutis vulgo rebus caligat acies, ac diligentia languescit. Perinde singulas custodiebat ac venerabatur, ut sacras reliquias: quarum vel minimæ particulæ auro & gemmis exornantur. Nihil ei non magnum erat, quantumvis exiguum & abjectum, quo divinæ fieret gratior Majestati, cui placendi gratificandique ardebat incredibili desiderio. Hunc ardorem fovebat jugi memoria Dei beneficiorum, & assidua contemplatione pulchritudinis perfectionisque divinæ: præ qua rerum ceterarum pretium illi vile, forma deformis apparebat; ac vita ipsa non vitalis, quandiu tanti boni possessione careret. Sacrosanctâ pariter hostiâ, tanquam ejusdem amoris pabulo certissimo utebatur; hanc visibat adorabatque frequens; neque obiter & aliud agens, sed meditatè ac sedulò. Diebus festis ministrabat sacerdotibus rem divinam facientibus, quàm plurimis poterat; tanta significatione pietatis, ut præsentem Deum oculis cernere videretur. Ad cœlestem mensam bene præparatum pectus, & stimulatam angelici panis attenta meditatione famem afferebat.

Uno verbo complectar omnia, quæ de illius non vulgari sanctimonia dici possunt; ita fuisse persuasum egregiis viris, & peritis rerum divinarum æstimatoribus, Franciscum Caetanum Aloysio Gonzagæ haudquaquam inferiorem existitisse.

60.  
Opinio publica  
de singulari  
ejus virtute.

se. Certe provincia Sicula, communi Patrum decreto, ad Claudium Aquavivam anno MDCVI. ita scripsit: *Enixè rogat Congregatio* (inquiunt Patres) *ut Francisco Caetano, qui eximia cum sanctitatis opinione in hac provincia vixit, Beati titulum honoresque, pro ejusdem provinciae consolatione, à Sanctissimo Domino nostro imperari curet: si informationes in ejus vitam & miracula, quæ cum P. Procuratore mittentur, ad id petendum satis esse judicaverit.* Respondit Aquaviva expensum iri quæ mittebantur; & siquidem judicarentur idonea, provisorum se, ut id quod rogabant fieret. Expensa sunt, & curatum à Præposito Generali, ut secundum vota Congregationis, huic rei opera daretur. Ejus imago excusa Romæ fuit superiorum concessu, & aliis in locis, cum hac inscriptione: *Religiosus Dei servus Franciscus Caetanus, Societatis IESU; genere, & vita austeritate, ac innocentia clarus. Obiit Messanæ XX. Aprilis MDCL. Ætatis XXXI. Religionis VIII. Superiorum facultate.* Data similiter potestas est ab antistitibus, res ejus gestas & virtutes legitimis firmatas testimoniis perscribendi. In iis legere est edita post ipsius mortem prodigia; patefactam ejusdem in cælo gloriam, & alia id genus eximia sanctitatis argumenta. Illius vita Italico sermone conscripta prodiiit anno MDCXXXVII. Panormi, qua in urbe ipsius caput in sacratio collegii Societatis asservatur.

S. XL.  
FRANCISCUS MOSCO-  
SCOSUS, IGNATIUS MENDOZA,  
& PETRUS VELLONUS.

61.  
Religiosæ pau-  
pertatis amor.

\* Sapiens. IV.

MAGNAM quoque perfectæ virtutis, exiguo tempore in religioso studio comparatæ, laudem tulerunt Franciscus Moscosus, & Ignatius Mendoza. Moscosus pietatis cursum, quem habiturus brevem erat, citò inchoavit. Vix hauserat lucem in ea Bæricæ urbe, quam Pacem Augustam veteres vocitarunt, cum animum ad cælestia profusus natum præ se tulit: tanta erat in puerulo benignitas erga pauperes; tanta deliciarum, quibus ætas mollis ducitur vulgo, fuga. Pater genere opibusque pollens, ut primo partu genitum, sic familiæ columen certissimum spectabat: neque levem de se victoriam retulit, cum hanc victimam immolavit Deo, ac Societati dedit. Nec ea tamen diu frui licuit Societati. Paucis ab ingressu in Montellanum tirocinium mensibus, cum novi tironis præclara virtus aliis exemplo & admirationi esset, acuta correptus febris, de medicorum sententia, in patriam remissus est. Illud enixè petiit ut, ante quam paternas subiret ædes, deportaretur in urbanum xenodochium, ibique curaretur, donec vis morbi resedisset. Indulsi filio voti partem parens, partem negavit. Ut deponeretur in xenodochio concessit; ut in eo hæreret noluit: multo minus ut in eo sepeliretur, id quod summis precibus adolescens oraverat. Saltem id ejus eximio in Christum pauperem amoris datum fuit, ut domi paternæ tanquam pauper haberetur; & quidquid a famulis ipsi exhiberetur ministerii, præstare se tanquam pauperi profiterentur. Quia vero jussus fuerat à magistro novitiorum patrem intueri ut animi corporisque sui moderatorem & arbitrum, ne latum quidem unguem ab ejus præscripto discedebat. In gravi ac difficili ægritudine nunquam se, nisi paternis maternisque tractari manibus est passus; Morbum, nisi vestigia in vultu & languente corpulculo extarent, non agnovisses: ita doloris significationem quamlibet, ita gemitus ac familiares ægrotis querelas patientiæ premebat. Vivere autem illum ac propemodum valere credidisses, cum de Deo, de aterna felicitate, diserebat. Mortui corpus in separato conditum loculo, propter opinionem sanctimoniam, odorem suavissimum spirasse dicitur, qualis affari è vernis floribus solet: amplexusque feretrum ex ejus propinquis unus, capitis diuturna & molesta distillatione laborans, repente sanus abcessit. Sic uno consummatus anno felix novitius *explevit tempora multa*.\*

Idem vitæ perfectioris curriculum Ignatius Mendoza vix ingressus erat, cum ad eandem metam non dispari gloria pervénit. Ætatem ille quidem attulerat proveciorem, sed eo magis confirmatam robustamque virtutem: cujus plurimam atque illustria dederat argumenta, publicis in patria muneribus gerendis, ob-eundis singulari prudentiæ opinione, nec minori successu, legationibus à Philippo II. itemque III. impositis: quibus parem illum reddebant natalium splendor, dexteritas in tractandis negotiis, & juris utriusque non vulgaris notitia. Quarum rerum amplissima præmia cum sponderet illi regius favor, majora consequi ab cælesti Rege in ejus Societate destinavit. Ea spe, hoc cælestium bonorum desiderio, ac divinæ bonitatis suavissimo gustu sic afficiebatur, ut moriens affirmare non dubitaverit

taverit satis jam sibi præmii repensum esse ob trimestrem, quam egisset in Societate, vitam, Ita fere vulgavit fama, neminem adhuc secundum sanctos Ignatium & Borgiam, clarioris nominis, aut majoris (si vita suppeditasset) spei cooptatum in Societatem fuisse.

Quam in aditu vitæ perfectioris præ se tulit alacritatem Mendoza, eandem ad annum usque sexagesimum retinuit Petrus Vellonus, rei domesticæ adjutor, in oppido Compostellanae diocesis natus, & acceptus in Societatem anno MDLXVII. Jam inde ab ipsis religiosi tirocinii primordiis in intimam Dei familiaritatem admittus, coelestes delicias, & illam quæ omnem sensum exsuperat, pacem degustavit. Hanc ut foveret, acre corpori & cupiditatibus bellum indixit; ter quotidie solitus in se animadvertere immitibus flagellis; cumque lassus diurno labore membris nonnihil quietis necessitas extorqueret, carpere brevem in humo nuda somnum, & saxum capiti subjicere. Magnam noctis partem orando transigebat: nec prius rei divinæ intererat, quam ternas in pia meditatione horas consumpsisset. Illarum prima collocabatur in laudando mundi opifice, creatisque rebus velut ordine vocandis ad hoc laudis tributum supremo Principi solvendum: altera in flagitandis virtutibus, quas sibi ceterisque mortalibus necessarias judicabat: tertia in recolendis Christi Domini vita & cruciatibus. Decem horas precationi singulis diebus impendere censebatur. Dominicis verò ac festis, matutinum tempus totum extrahebat frequentandis in templo sacrificiis. Hac pietatis exercitatione consequebatur ut ab omni labe remotissimus exemplo cunctis & admirationi esset. Pacem compositæ mentis demonstrabat serenitas vultus, quam nulla unquam nubecula obscurabat. XV. Kal. Octobris orantem mane apoplexia repentina oppressit Compluti, cum pridie sacram Eucharistiam sumpsisset. Spatii duntaxat satis ad supremam unctionem impertiendam fuit.

HONORIS metus, & damnosæ rerum humanarum alex, Patrem Petrum Bernalium in religiosæ ac securæ tranquillitatis portum conjecit. Juris scientiam Granatæ, in patria, tradebat, tantamque illi famam probitas & doctrina conferant, ut inter primarios supremæ curiæ judices brevi adscribendus omnium suffragio censeretur. Quod ille ubi persensit, continuo fugit in Societatem, ubi tuta & salutaria de se ipso judicia posset exercere, aut si quando cogeretur aliis præesse, personam patris potius, quam judicis partesque sustineret: uti reipsa contigit. Complutensi enim collegio, Conchensi, Gaditano, bis toti provinciæ Bæticæ, demum Valentiniæ domui Professorum præpositus, melleam erga omnes caritatem adhibuit: si quid haberet aculei & severitatis, uni servans sibi, sequelæ voluntariis pœnis inclementer discrucians; tum ut odium expleret sui, tum ut aliorum laborem aliqua ex parte minueret. Itaque illorum, quos ægra valetudo cogebat cessare, fungebatur vicibus; scholas infimas ipsorum loco regebat, operosa suscipiebat ministeria; omnium onera denique subire gestiebat.

Gubernandi, non secus ac vivendi, amabat modum nullis fucatum integumentis, nec profanæ calliditatis leges audientem; sed rectum & religiosum, in quo rationes humanas vincerent divinæ, in quo veræ virtutis effata, & sanctum disciplinæ vigorem improvida lenitas non intringeret. Quanto se videbat aliis munere ac loco superiorem, tanto se inferius deprimebat: confessiones plebeculæ audientis præcipue sibi deposcens; puerulos docens elementa religionis; pauperum casus consolator assiduus, ac pæne altor, circumcursans. Deposito magistratu, quasi personam exuisset, nihil quod imperantem saperet retinebat: tam cereus ac docilis ad præsidium nutus, quam si ætatem omnem contrivisset in obedientia: tractabilis ad arbitrium æqualium; nihilque habens antiquius, quam ut omnibus, ubicunque fas esset, obsequeretur. Egregiam servi sui virtutem prodigiorum testimonio Deus comprobavit. Antonius Cardenas Societatis sacerdos gravi dolore capitis urebatur. Hunc ut levaret, adire Bernalium consueverat, rogans ut imposita, vertici manu sacras è Marci Evangelio voces recitaret, *Super agros manus imponent & bene habebunt* \* : & laboranti bene statim erat. Nec domestici tantum ad ejus recurrerant preces, verum etiam externi. Gaditani civis cumprimis honesti ac spectati vitam medicus desperaverat; mater atque ayia persufæ lacrymis Ber-

§. XLI.

P. PETRUS BERNALIIUS, & ANT. HENRICIUS.

62.

Ejus ratio nos-  
tros gubernan-  
di.

\* Marc. 12.

Bernalium implorant; quas ille bene sperare, ac fiduciam omnem in Deo collocare iussas dimittit; affirmans nequaquam supremum hunc morbum ægrotanti fore: se rem divinam illico pro ejus salute facturum; ea peracta certiores se faciant uti valeret. Ab altari digrediens audit à seruo herum repente convulsisse: & gratias ut agerent, matronæ mox adfuerunt. Hispali repente convulsissimum parentes mæsti de filiolo, qui diu conquestus nusquam apparebat. Recurrit ad orationem. Exacta sesquihora, puer attonitis omnibus in limine paternæ domus deprehenditur. Sciscitantibus per quem fuisset revocatus, respondit se, dum longius evagatur animi causa, sensim in avia loca & abdita processisse: oblatum modo erranti anxioque virum, nec facie nec nomine sibi cognitum, à quo redactus, & in vestibulo constitutus sit. Matronam difficili partu graviter periclitantem pia precatione sublevavit, ac prole mascula feliciter augendam prædixit. Alteram, cujus erat desperata salus, valetudini pristina restituendam gratus verusque vates asseruit. Hinc præclara hominum opinio de illius apud Deum gratia: hinc fiducia singularis, qua illi rerum suarum curam omnem iudiciumque permittebant: hinc fructus eximii, quos è concionibus divinum spirantibus ardorem, & administrando poenitentia sacramento, colligebat. Obiit Gadibus X. Kal. Decemb. anno ætatis LXXII.

A. C. 1602. Antonius de Henricis, Italus Monferratensis, superstitè adhuc S. Ignatio datum collegio Tiburtino, in eo per annos XLVI. domestica exercuit ministeria, Soc. 63. non vulgari sanctitatis existimatione, quam elogium sepulcro additum declarat. Demortui corpus vix defendi potuit a populo certatim irruente, ac vestes diripiende. Multa narrantur ab eo facta vel prædicta, quæ prodigiis non immerito annumeres. Conspicatus aliquando inambulanti puellam, ac bene sanam, admonuit ut se ad imminenti obitum compararet: non temere monitam fuisse mors quadriduo consecuta declaravit. Ipse cum oppressus pleuritide jaceret anno MDCI. post accepta novissima sacramenta, rogatus à rectore collegii fuit ecquid de instante fatali hora cogitare; jam enim omnino conclamatum esse. Paulisper cunctatus respondit nondum illam instare, adhuc menses quindecim sibi superesse: ac totidem postea vixit: quibus elapsis, piè admodum decessit Tibure, VIII. Kal. Quintil. anni MDCII. ætatis LXXII.

§. XLII.  
PP. GREGORIUS  
A VALENTIA, &  
GABRIEL VAS-  
QUES.

A. C. 1603.  
Soc. 64.

PATRIS Gregorii à Valentia labores egregii, pro Societate ac Religione suscepti, tanto plus merentur laudis, quanto plus utilitatis & contentionis habuerunt. Ea contentione dici eneçtus potest. Cum enim disputandum illi fuisset per menses aliquot, coram Summo Pontifice, idque sæpius singulis hebdomadis: cum ad quatuor aut quinque, ac plures interdum horas, disputatio continenter produceretur: cum adversariorum egregiè sustineret incursum, & rerum ipsarum, quæ disceptabantur, gravitas maximum diurni nocturnique studii apparatus requireret: nequaquam animi robur æquare vires corporis potuerunt. Laudavit non semel ingenium hominis & perspicaciam Pontifex: amavit modestiam atque humanitatem, & sedere aliquando coram se differentem, novo exemplo, nova benignitate, iussit: cœtus etiam eruditus, ac disputationes de auxiliis divina gratia, se arbitro & iudice in Vaticano institutas, identidem differri atque intermitteri, ut ejus valetudini consuleretur, voluit. Viribus demum lenta phthisi accisis, Neapoli, quò ad eas cœli salubritate rescindendas concesserat, obiit VII. Kal. Maias.

Hispanus erat, natus anno MDXLIX. Metinæ, quæ vulgo Campensis appellatur; Societati datus anno MDLXV. Ex Hispania Romam evocatus à S. Francisco Borgia anno MDLXXI. necdum sacerdos, ibi philosophiam biennio docuit. Mox anno MDLXXV. Dilingam, ut sacram de Deo scientiam traderet, missus, tantam paucis annis famam ingenii excellentis adeptus est, ut certatim à clarissimis Europæ academiis expeteretur. Tandem Guillelmo Bavariæ Duci concessus, Ingolstadii complures annos eidem theologiæ tradendæ præfuit.

Differendi subtilitatem & argutias, quibus valebat plurimum in disputando, à suis abesse commentariis de industria voluit, quo lucem illis majorem, necnon legentibus facilitatem afferret. Austeritatem vero scientiæ reconditoris scribendi elegantia, nitore, ac brevitate condidit. Cum Ingolstadii annis sexdecim do-

cuisse,

euisset, ibidem octo annos, tanquam professor emeritus, peregit. Inde Romam revocatus anno MDXCVIII. Patri Mutio de Angelis, theologiæ professori morte occupato subrogatus est: nec ita multo post collegii Romani severioribus studiis præpositus; ac demum ad celeberrimas de divina gratia concertationes adhibitus, impositas sibi partes præclare defendit. Aiunt, audito illo, dixisse Pontificem, causam Societatis nequaquam esse talem, qualis fuerat sibi descripta; quæ à tantæ integritatis eruditionisque viro tam bene propugnaretur. Sane illum doctorem, doctorum non dubitabat appellare, nec levibus singularis benevolentia argumentis honestavit. Ejus ingenium ac tuenda religionis ardor præsertim eluxit in confutandis hæreticis, quos eruditissimis lucubrationibus, etiam reluctantes, ad aspiciendam veritatem adduxit\*. Earum indicem legere est in Bibliotheca scriptorum Societatis, cum elogio amplissimo, quod ejus honorario tumulo Ingolstadiensis academia insculpsit. In editionem Romanam ejusdem Bibliothecæ anni MDCLXXVI. geminus irrepit error numerorum, alter cum natus scribitur anno MDLI. alter cum ponitur mortuus anno ætatis LXIII. Ortus enim anno MDXLIX. mortuus est anno ætatis LIV.

\* Vide Janum  
Xic. Ergt. Pin.  
II. cap. 1.

In eodem, atque Gregorius à Valentia, studiorum graviorum curriculo, nec dispari laude versatus est Gabriel Vasquez, Bellomontanus (est oppidum Conchenensis in Hispania diocesis.) Ingenium viri & eruditionem cum editi ab eo libri, tum consentiens theologorum hætenus omnium vox testatur. Doctrinæ par & ingenio virtus fuit, ut merito ambigeres theologus præstantior, an vir melior, esset: eumque alii Augustinum, alii moribus perinde atque intelligentia & mente Angelum appellare non dubitent. Theologiam tradere de superiori loco cœpit anno ætatis quinto & vigesimo: docere perrexit Madriti, Compluti, Romæ per annos fere XXX. Societati se addixerat anno MDLXIX. ætatis XVIII. Obitus in IX. Cal. Octobr. anni MDCIV. incidit, Compluti, & in annum vitæ LV.

A. C. 1604.  
Soc. 65.

Inter ceteras ejus virtutes celebratur humilitas. Hoc veluti fundamentum, posuisse videbatur, cui tanta eruditio & fama tuto insidèret. Quæcumque vilia & abjecta sunt in religiosa domo ministeria, in iis frequens ac libens versabatur. Cum esset in omnium ore, & ad eum audiendum tota Hispania concurreret, non est cunctatus Indicam expetere Missionem, ut Fidei elementa barbaris ignotis explicaret. Nullam sapius solvebat animo, vel suavibus, quam hanc Apostoli Pauli vocem, *Nihil sum* \*. In publicis theologorum cœtibus, ad quos invitabatur, locum novissimum, si posset; certe obvium ac parabilem semper capiebat, recusato, qui enixè offerebatur, nobiliori. Eum aliquando certaminis theologici præses laudare palam adortus, tantum incussit homini modestissimo pudorem & molestiam, ut assurgens ac tristis excefferit. Nescio quem è discipulis doctrinam & humanas dotes uberius justo prædicantem castigavit his verbis: Quid hæc proderunt mortuis, cum vivos tam parum juvent? Absit ut labores veros magnosque, pro tenui falsaque gloriola, capiamus. Sua scripta, quæ clarissimi omnium academiæ doctores summo habebant in pretio, & quorum apices singulos, tanquam toridem oracula, colligebant, tam nullius ponderis ducebat, ut eum ea prelo typographico subiecturus esset, editionemque toto biennio aliqui morarentur, nullo modo conquestus fuerit: facile & animo æquissimo laturus, si nunquam lucem aspexissent: id nequaquam ad se pertinere dicitans. Cum nostris rei domesticæ adjutoribus sermones miscere amabat, eorumque simplicitate atque humilitate delectabatur: imo rogaverat unum aliquem ex illis uti se admoneret, si quid uspiam peccaret. Objurgatus vero interdum publicè in triclinio, ut in religiosis familiis usuvenit, ubi delicta quandoque levia, imò nonnulla speciem duntaxat umbramque delicti præferentia plectuntur, defungebatur imposita poenâ cum singulari voluptate, humilitatis quamlibet exercitationem lucro apponens.

63.  
Ejus religiosa  
humilitas, &  
alia dotes.

\* II. Cor. c. 11.

D. Augustinum eo nomine colebat impensus, quod humilitatis eximius fuisset cultor, ejusque exemplo retexere ac retractare, si quid minus commode dixisse videretur, nunquam recusavit: quamvis plerique, ut sententiam tueri pergeret, instarent, ac palinodia probrum ostenderent. Unum illud fratri suo, quem Societati dedisse nomen audiverat, etiam atque etiam commendavit, humilitati

ut studeret. Quam gloria suæ negligens, tam studiosus erat alienæ. Neque dicere neque audire quidquam sustinebat, quo vel minima labe alienæ famæ affigeretur. Secretas vero illas obrectationes, cum in aurem alii de aliis detentis garrunt & obmurmurant, tanquam pestem caritatis & communis vitæ, horrebat. De illis honorificè differebat, quos in docendo adversarios infestisque experiebatur; eorum satyras, cavillationes, dicacitatem, animi Christiani demissione ac religioso silentio vincere contentus. Neque vero minus sui commodi, quàm honoris contemptor fuit. Vestes usu detritas ipse sarciebat, recentes & pexas omninò respuebat; annos triginta pallium gestaverat depile totum ac decolor. Animadvertit illud Garcias Loaisa, Toletanus Archiepiscopus, cum theologicæ disputationi adesset; statimque pannum coemi iussit, & sub finem disputationis Patri, non auso reluctari, subridens pallium vetus detraxit. Petasus erat pallio par, ac forte senior: quem multis pertusum locis conspicatus Antonius Venega, postea Episcopus Seguntinus, Emeritum habes petasum, inquit, mi Pater; missionem ac rudem petit. Cui Vasquez; Sic humana sunt: sed ea quanto fiunt senio deteriora, tanto nos, annis procedentibus, vegetiores & ad colendam virtutem alacriores esse decet. Multi proceres multa offerebant ad levandum religiosæ paupertatis onus opportuna. Recusabat; vocem Apostoli subjungens, *Habentes alimenta, & quibus regamur, his contenti sumus* \*. Ubi quæque versaretur, præsertim cum animi relaxandi causa in villulam secederet, pauperum gerebat curam, & eorum commodis serviens, eruditionem atque auctoritatem ad ipsorum calamitatem sublevandam, secandas lites, pacandam conscientiam, adhibebat.

\* I. Tim. 6.

Ex hoc honoris & commodorum contemptu profuebat libertas sentiendi & loquendi quodcumque veritas virtusque suaderet. Convenerat eum vir in Hispania præpotens, & obsecrabat ut certæ schedæ nomen adscribere suum ne gravaretur: si faceret, locupletissimum Episcopatum pollicebatur. Tum Vasquez: Ain? tu? Episcopatum. Et ille; beneficium istud Ecclesiasticum tam certum habeto ac desponsum, quàm quod est certissimum. Bene habet, inquit Vasquez: & chartam attentè semel iterumque legit tacitus: mox in musæum recedens, injustam rem & improbam, ascripto nomine suo, testatus, dynastæ renunciat, doctorem probum & eruditum aliter sentire posse neminem. Nec semel, data simili occasione, verum probavit Augustini de Præcursores Christi verbum; *Quia talis erat, non quærebat gloriam suam, sed testimonium perhibebat veritati* \*.

\* De D. Joanne Bapt. Tract. 7. in Joann.

Ut in docendo, sic in agendo, verborum parcimoniam adamabat; ita ut ejus oratio plurimum substantiæ, perparum accidentium habere vulgò diceretur. Nullius rei avarus, præterquam temporis, vel minimam ejus particulam quolibet pretio bene repensam putabat. Nec ita tamen in libris totus erat, quin eos ad nutum obedientiæ vel levissimum deponeret. Anxiam tironum in petenda facultate scribendi, loquendi, usurpandi aliquid ex alieno cubiculo, diligentiam superabat, idque palam & in omnium oculis, nec pudore malo fugiens videri quod erat.

S. XLIII.  
PP. PETRUS RODERICIUS, HENRICUS HAMERUS, & MICHAEL DE REYNO.

Mexicana civitas funus Patris Petri Rodericii concursu ordinum omnium magno, luctuque celebravit. Civium animos mirifice illi conciliaverat austeritas vitæ, & sui rerumque humanarum despicientia. Semel tantum per diem reficiebatur cibo, à vino prorsus abstinens. Coopertus cilicio, incinctus hirsutis funibus, cruentis & sæpe repetitis quotidie verberibus in se se animadvertebat: horas tres quatuorve in precatione perseverabat. Ejusmodi vitæ severitas oculos vulgi fermè capit; nec fallit, si comites humilitatem atque obedientiam habeat. Quàm porò sanctè se oderat Rodericius, tam ex animo reliquos diligebat, totus juvenis proximis deditus. Quamobrem ejus vitam votis publicè susceptis propagare urbs tentavit. Respuit ille nihilominus pia vota, satis se vixisse terris dicuntis, & coelestis patriæ flagrans desiderio.

Patrem Henricum Hamerum commendabant eadem virtutes. Contextà horridis fetis subuculà utebatur. Genibus callum obduxerat orandi assiduitas. In gemiscebat quoties cerneret sacerdotem sine singulari præparatione ad sacrificandum accedere. Omnem captabat occasionem disputandi de veritate cum hæreticis.

cis, de peccati gravitate differendi cum iis, quos inveterata flagitii consuetudo induraverat, ubique de rebus divinis verba facendi. Cum verò in urbe ad frequentem populum, non minori facundia quàm libertate, perorasset; procurabat in pagos, & vicariam parochis instituendâ plebe rusticanâ operam dabat. Multis in cœnobiis lapsam temporum hominumque vitio disciplinam restituit. Halberstadiensem paravit Missionem: Hildeshemensis collegii fundamenta jecit. Finem vivendi fecit \* Fuldæ; ubi Patribus, qui tertium probationis annum decurrebant, præerat.

Est illa Gregorii magni sapiens & vera vox, divinum amorem, ubicunque est, operari magna, nec cessare usquam posse. Tamen opera illa magna minime metienda sunt externo quodam splendore, vel potius fūco, qui nonnunquam imperitis imponit. Neque ego minori habendum in pretio arbitror P. Michaelem de Reyno, cum illum totos viginti annos contemplor in tradenda Grammatica occupatum; quàm P. Haverum, alioſve præstantes divini verbi præcones, qui è superiore loco flagitiosos oratione fulminea conturbabant. Idem in exponendis Christianæ doctrinæ rudimentis assiduus existit: idque ut publicè perageretur in Madritensi collegio vehementer laboravit; affirmans, donec id fieret, nullum reperum iri, qui fundatoris nomen & partes sibi deposceret. Ac sane quadraginta jam anni fluxerant, necdum quisquam collegii Madritensis fundator exstabat: sed quo demum anno palam susceptum est, illo autore, docendi rudes munus, videlicet millesimo sexcentesimo; statim Maria Austriaca, Cæsaris conjux, titulum hunc, nec inanem, testamento sumpsit.

Non tantum in pueris, sed in viris etiam rectè instituendis peculiari valebat industria P. Reynus. Argumento est fodalitium civium ab ipso & erectum & gubernatum; in quo sexcenti fodales eodem, quo deceſſit, anno MDCIV. numerabantur. Ex eo pietatis quasi fonte tantus in civitatis mores fructus redundabat, ut paucis irrogarentur ob delicta pœnæ, ac multæ pecuniariæ. Quod miratus aliquando urbanus prætor, candidè confessus est, ex quo Societas JESU fodalitatem istam excitaverat, vix ulla supplicia sumi de civibus, quia nulla essent maleſcia. Proditum sacris litteris est Scribas olim ac Phariseos consuevisse divina mandata scribere in membranulis (phylacteria vulgatus interpret vocat) quas collo & brachiis inducebant, ut nulla divinæ legis obreperet oblivio. Quod isti factitabant popularis auræ captandæ causa, hoc Reynus piè ac religiosè usurpans, Dei beneficiorum indicem bene longum in charta descriptum ac suspensum gestabat è collo, ut ipsorum memoria menti assiduè recursaret. Omnium beneficiorum cumulum pia morte est consecutus Madriti XIII. Calendas Sextiles. Hunc Societati Caravaca dederat.

PATRI Hieronymo Carvallio non defuit gloriosi funeris, dum peste contactis adest, voluntas; mors semper optata, sæpe laceſſita, defuit: credo, ut vitam multis utilem produceret, artemque sanctè vivendi ac moriendi plurimis traderet. peculiari quippe solertia regendarum animarum pollebat, eamque non tam alienis præceptis, quam suâ ipsemet experienciâ didicerat. Ad sex minimum horas quotidie preces producebat: centies submittebat genua: corpus bis terve singulis diebus, tanquam fugitivum mancipium, accipiebat pessimè. Vestis interior hircinis conferta pilis: exterior, detrita & assutis refarta segmentis.

Deiparæ, quam summa colebat cura, conspectu non semel dignatus fertur: maxime, cum jaceret aliquando mæore constrictus, ac metu gravissimarum pœnarum, quibus ultricem Dei justitiam placant in altera vita sanctissimi etiam viri, quæ, si Augustino, si Gregorio Magno, ceterisque summis doctoribus habetur fides, longissime superant quidquid immanitatis conditio mortalis & vita ferre potest. Tunc enim vidit manifesto in lumine Virginem sanctissimam, ab eaque voces istas suavissimas audivit: se clientium suorum, non modo cum hanc vivunt vitam, sed multo etiam magis cum ex illa cedunt, & in istis purgantur ignibus, matrem, advocatam, & levamen esse. Ab eadem, quo esset anno moriturus, multo ante cognoverat. Fuit enim in illius schedis repertum, cum jam annos explevisset quinquaginta, sibi decem duntaxat ad vivendum superesse: quod vere ab eo fuisse

Nnnn 2

scri-

\* Anno et. 54.

64.

Pii fodalitii fructus memorabilis.

§. XLIV.

PP. HIER. CARVALLIUS, FRANC. CARDOSUS, &amp; SEBAST. CABARASTUS.

65.

Deiparæ in suos clientes post mortem benignitas.

scriptum eventus comprobavit. Incidit ejus obitus in IX. Kal. Octob. Vocatio ad Societatem aliquid habuit singulare. Cum enim cymba deveheretur adverso Tago, ingruens procella cymbam subvertit. Sepultum inter undarum æstuosos vor- tices eduxit arcana manus, & in tuto collocavit: simul audire vocem est visus monentis, ut tanti beneficii memor Societati Jesu se dicaret.

Nec suam ignorasse mortem videtur P. Franciscus Cardoso, Lusitanus, con- cionator insignis. Egregiam Olisippone XII. Kal. Octobris anni MDCIV. oratio- nem habuerat de morte (quod argumentum oblatum ex Evangelio Dominicæ post Pentecosten quintadecimæ, filius viduæ Naim dabat) eoque successu & audien- tium approbatione peroraverat, ut cum antea ceteros, tunc se quoque ipse su- perasse diceretur. Postridie illum ædituus sedentem & exanimam deprehendit, ore tam composito ut vivere crediderit; neque ante intellexerit mortuum, quàm re- petitis vocibus nequicquam inclamasset. Oculos in librum adhuc retinebat con- jectos, & indice digito monstrabat hæc verba: *Beati mortui qui in Domino moriuntur* \*. Corpus religiosorum, aliorumque civitatis principum humeris elatum. Plurimi tam præsentis documento ad mortis cogitationem & pœnitentiam fuere incitati: adeo ut magnum vivus fructum, majorem mortuus attulisse civitati prædicaretur. Ha- bebat hoc, in præclara illa dicendi fama & plausu publico, ut rudium ac servi- tiorum institutioni multum temporis tribueret, eamque occupationem pulcher- rimam & verè Apostolicam duceret. Itaque festivè ostentans arundinem, quæ utebatur in puerorum grege moderando, dicitabat viam in cœlum à se pluri- bus hac muta arundine, quàm eruditis concionum clamoribus, fuisse common- stratam.

\* Apocal. 14.

Syraculis diem obiit anno MDCV. P. Sebastianus Cabarasius, qui primus hac in urbe sodalitia, sub Deiparæ tutela & nomine instituit; exemplo in omnem Siciliam propagato. Laudatur mira hominis ad tractandos animos industria. Hoc unum documento fit. Inciderat aliquando in latronum gregem, vicinæ terrorem clademque regionis. Occupabant atrum nemus, arcem latrocinii: inde in præter- euntes faciebant impetum; ac, siquidem invenirent quod prædarentur, dimitte- bant incolumes: si præda exilis foret aut nulla, spoliatos alligabant arbori, & longa necabant fame. Idem Cabarasio fatum impendebat. Conviciis ac verberibus pessime multatum adstringunt ad truncum. Sed ejus silentio, atque adeo ala- critate inter plagas & convicia deliniti, solvunt vincula, & porrigunt cibum. Tunc ille, obortis lacrymis, lamentabiles gemitus edere. Ad quos conversi stupentes- que, rogant quid sit cur tot affectus plagis ne ingemuerit quidem; nunc recrea- tus cibo fleat. Silui, retulit Cabarasius, dum mea res ageretur: nunc lacrymor, cum agitur vestra. Cerno jam animo luctuosos vitæ, quam tot inter scelera du- citis, exitus; video imminentem vestris capitibus iram Numinis, & pœnas nullo terminandas ævo. His verbis percussus, seque invicem respectantes, negant spem, ullam sibi relictam esse vitæ melioris: Superis pariter & hominibus invisos in- ferarum spelæis degere, & præfidiis omnibus ad bonam frugem destitui. Imò, subjecit Pater, si me auditis, nihil erit moræ quin miseram hanc flagitiosæ vitæ conditionem felicissimâ & sanctissimâ commutetis. Persuasit: & singulos sacra- primùm expiavit confessione: deinde magistratum convenit; ac veniâ fontibus im- petratâ, nemus infamiâ, viatores metu, totam regionem exitio liberavit.

S. XLV.  
P. LUDOVICUS  
GUSMANUS.

QUANTO plus est in religiosa vita boni, tanto impensius ab illa juvenes avo- care dæmon studet. Ad eam capeffendam vehementibus à Deo stimulis urgeba- tur Ludovicus Gusmanus, nobilis adolescens Hispanus. Decursis in academia Com- plutenfi litterarum spatiis, diu hæsit anxius, hinc vocante Deo, hinc revocante libertatis, quam professione religiosa deperdi vulgus putat, amore juvenili. Illum etiam longius à severioris vitæ consiliis abduxerunt æqualium adolescentum exem- pla, sermones, insidia. Titubantem in hoc lubrico sustinuit affinis prudens & ami- cus. Ejus exemplis melioribus, & oratione admonitus, miseram caducorum bono- rum felicitatem, & plenam vinculorum libertatem agnovit. Demum vocanti & urgenti Deo morem ut gereret, expetiit Societatem: concessa est. Statim eum pœnituit consilii: cumque initurus tirocinium putaretur, abire peregrè constituit;

non

non tantum ut hominum è Societate consortium, sed etiam ut eorum conspectum fugeret. Profecturo amicum pudorem incussit, quòd furtim ita se proriperet, instar fugitivi & facinorosi: adeundum Provinciale: causas, quibus adductus recederet, explicandas: cum bona demum gratia proficiscendum. Annuat. Adeuntem Provincialis amplexus, quærit quorsum veniat, quid velit. His verbis ita consternatus, ita percussus hæsit, nihil ut eorum, quæ paraverat, proloqui posset; nihilque succurreret aliud, nisi se Societatem velle. Rogat Provincialis boni ut consulat evocari tirones, qui novum salutem hospitem. Evocantur, & mutuo complexu gratulantes domum deducunt. Vix dies altera fluxerat; redeunt curæ, ingravescit perturbatio: circumspicit se, ac miratur in casses, quos tam diligenter fugere studuerat, præter spem ac voluntatem incidisse.

Æstuanti Deus adfuit, qui sæpe levissimis è rebus aptam suorum salutem suspensamque tenet. Spatiabatur in horto, tædium ut falleret: conspicit insidentem arbori aviculam suavissimè cantitantem: gressum & aurem admovet. Illa, quasi sentiret auditorem, dulces iterat modulòs, sursumque ac deorsum volitans, gratissimo concentu auscultantem distinet, ejusque libertati ac tranquillitati misere invidentem: cum subito irruens milvus incautam corripit, ac discerpit. Attonitus infelicis aviculæ casu repentino, constitit; mox secum: En, inquit, hæc illa libertas, hæc illa felicitas hominum est, suis cupiditatibus in seculi pravitate indulgentium! *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto...* Ne sententiam absolveret, lacrymæ ac suspiria ex imo ducta pectore, vetuerunt. Exinde prorsus in alium, velut hominem mutatus, veram in suavi Christi jugo alacriter ferendo libertatem quæsit, & sensit. Nec facile plus eo quisquam deinde valuit ad expediendos istis laqueis mortales, è quibus tam feliciter evolarat. Coaluerat in academia Complutensi juvenum perditorum impia sodalitas, in omnem petulantiam ac libidinem effusa. Eam dissolvere aggressus Gusmanus, unum è ferocioribus aggreditur; & omni officio atque humanitate devinctum paulatim adducit ad instituendam peccatorum confessionem. Cum portentosa quædam flagitiorum narraret, iisque parum moveri Pater videretur, fidentiùs addidit alia, & multo quidem atrociora; nonnihil tamen anxius, & metu gravioris pœnæ, quam tot criminibus deberi sciebat, suspensus. Sacerdos prudens trepidantem erigit, clementique adhortatione ad verum dolorem concipiendum perducit; imponit non ita gravem pœnam, & idoneis monitis instruit. Hac lenitate juvenis conciliatus, Gusmano se totum permisit, à quo sensim ad meditandam peccati foeditatem, & æterna supplicia fontibus destinata, inductus, exegit à se pœnas ultrò, longè graviores illis, quas confitenti amica lenisque severitas imposuerat. Neque eo contentus, scelorum participes ad sacra confessionis remedium usurpandum paris clementiæ spe adhortatus, brevi omnes ad bonam frugem revocavit. Ea demum laudanda benignitas est, quæ fovet peccantes ut peccata sanet, Jure laus medico tribuitur, qui, dum ferro parcat, gravissimis morbis facere medicinam potest.

Neque minus efficax Gusmanus in mulierculis ad pudicitia castra reducendis fuit. Compluti cum aliquando verba faceret, ex iisque adessent plurimæ; omnes, unâ duntaxat exceptâ, turpem quæstum detestata palam respuerunt. Quod instar miraculi, nec immerito, visum. Ac sane Gusmano Deus *vocem virtutis*\*, ut loquitur sacer Vates, dabat. Tanto æstu oris atque animi perorabat, ut nonnunquam dicentem spiritus voxque deficeret, aut erumpens pectore ardenti sanguis os obstrueret. Minus tamen ista contentione proficiebat, quam nativa comitate. Peccantium miseriâ (nam hæc vera calamitas est) tangebatur intimis sensibus; neque quidquam cavebat magis, quàm ne illos aut aspernari aut horrere videretur: imo cum illis sic agebat, ut pejorem crederes. Et vero se pejorem omnibus sentiebat: idque non verbis tantum ostendebat, sed factis; ultimas sibi deligens partes, vestes deterrimas; novissimum, quoad fas erat, locum. Rectoris sæpe, Provincialis semel iterumque munus gessit. Collegia cum inviseret, solebat in culinam divertere, ibique coquum adjuvare. Cibus in diem semel tantum sumebat. Sua omnia cum Deo communicabat consilia, in eoque per piam precessionem demerendo complures horas collocabat. Confanguineorum oblitus ita erat, ut ad visendam foro-

rem

66.

Ejus vocatio ad Societate. Ejusdem prudens lenitas, ardor concionantis, &c.

\* Job. 21.

\* Psalm. 67.

\* *Die 15. Jan. an.  
et. 61.*

rem Madriti nuptam, domo nunquam prodierit, nisi cum supremum illa diem obiret; idque discretis verbis à collegii rectore iussus. Vincula corporis exiit \* in eadem urbe, ut quatrinduo ante prænunciaverat. Indos ac Brasilos ut adiret Evangelii prædicandi causa, cum P. Ignatio Azebedio, impetraverat: incidit ali- quid impedimenti, & ipsum hæc subeundi cum eo martyrii spes frustrata est: quam jacturam, dum vixit, acerbissimè desolevit. Inde animum ac vora conver- tit ad Japoniam, cujus adeunda copiam cum nullis exoraret precibus, contulit se ad Japonicam historiam conscribendam: ut saltem eos qui legerent, ad eam expeditionem accenderet; quodque per se non poterat, per alios præfaret.

Nusquam patientiæ major & mansuetudini locus est, quam in toleranda calu- mnia: quippe quæ cum infamia conjunctam falsitatem & injustitiam habeat. Ea virtutis exercendæ materia P. Gusmano non defuit. Grave illi crimen ac probro- sum fuerat impositum: quod ille, sanctorum more atque instituto, cum silens imò etiam lætus ferret; visum est Societatis moderatoribus ejus existimationi tan- to consulendum magis, quanto de illa minus ipse laborabat. Ergo, re ad Nun- cium Apostolicum delata, quæstio legitimè ac publicè instituitur: & amplius qua- draginta testibus ritè interrogatis, quorum plerique lætissimi ac spectatissimi, co- gnita est Patris innocentia, & revicta calumnia falsitas. Pœna in calumniatores pa- rabatur: eam Gusmanus deprecatus, clementiâ laudem patientiæ cumulavit. Sed qui vindictam sibi \* reservat mortalium iudex æquissimus, suas partes egit; ac lycophantarum neminem manifestas ultori Deo pœnas non dedisse observatum est. Iudex causæ toti cognoscendæ præpositus, cum Acta chirographo testium rite consignata detulit ad Nuncium Apostolicum, affirmavit se ab iis audivisse tam- multa de virtutibus Patris Gusmani, ut sufficerent ad eum solenni ritu inter cœ- lites reponendum: neque se plura aut illustriora sanctorum virorum facinora co- gnovisse, quorum res gestas explorare legitimo in iudicio iussus olim erat, ut eorum virtus honore publico & cultu ornaretur.

\* *Mibi vindicta,  
et ego retribuam.  
Heb. 10.*

**S. XLVI.**  
P. FRANCISCUS  
ARIAS.

P. Franciscus Arias, quem Hispalensis Professorum domus ereptum teris fle- vit eodem anno MDCV. X. Cal. Junii, est notior è libris quos insigni refertis pietate scripsit, quàm ut elogio proluxiore indigeat. Neque vero aliter vixit ac scripsit. Instituti nostri fuit observantissimus, utque ab omnibus observaretur, stu- diosissimus. Oratio cum assidua, tum etiam ardoris & reverentiæ plena; sic, ut orantis habitus attentionem & pietatem spiraret. Molesta quandoque vexatus quartana surgebat nihilominus, ut oraret una cum ceteris; eas preces, quæ simul fiunt à multis, gratiores esse Deo dicitans. Nec cessabat hortari nostros ac stim-ulare ad orandi sedulitatem, cœlestium scilicet donorum fontem; & virtutum nutriculum ceterarum: idque unum enixè superioribus commendabat, ne quem- quam ita distringi laboribus paterentur, ut suum orationi tempus deesset. Nullus illi ferè sermo nisi de rebus divinis: amor paupertatis religiôsæ, obedientiæ, cas- tigationis corporis, castimonia, quales in viris perfectis esse solent. Speculum pœ- nitentiæ passim appellabatur. Quamvis autem longo virtutis usu videretur à periculo remotissimus, nunquam tamen, nisi cogeret ineluctabilis necessitas, mu- lieres invisebat. Juvandos potissimum illos suscipiebat, quos ob inopiam & so- litudinem despiciatissimos videret. Nec atate jam affecta cunctabatur prodire in- plateas, & elementa doctrinæ salutaris imperitiæ multitudini proponere. Ibi, si quod mancipium, si Æthiops aliquis occurreret, ut est hominum natio apprimè tarda & hebes, totum se illi erudiendo dabat. Eisdem vicatim conquistos edo- cebat, aut certum, quo id plenius faceret, tempus illis assignabat. Domi vero nostræ famulos nobilium qui ad nos ventitabant, otiosos in atrio, dum heros op- periebantur, convocans, modo singulos, modo universos instituebat diligentissi- mè. Cum in sordibus & fetore nosocomiorum versaretur frequens, ea virtutis heroicæ exempla edidit, quæ sanctis usitata & suavia, nauseam multis, etiam au- dientibus, cient. Rem in primis unam feliciter perfecit, quam diuturna sa- cerdotum cura, magistratuum severitas, parentum sollicitudo, consequi non po- tuerat. Conveniebant ad pugnam Hispali, diebus potissimum festis circa pome- rium, agmina puerorum armata fundis & lapidibus. Postquam geminæ consti- terant

67.  
Orationis assi-  
dua commen-  
datio. Paupe-  
rum cura; fuga  
inanis gloriæ.

terant acies, procurebant in se invicem furore tanto, ut contusi faxis, debilitati vulneribus, obliti cœno & sanguine, domum plerique reportarentur. Immisit se in medios; ac minando, hortando, obsecrando, immanis ludi amorem ex animis, fundas & saxa è manibus extorsit. Illud præ ceteris verebatur ne vel minimam gloriæ, quæ uni Deo tota debetur, particulam retineret sibi: nihilque diligentius cavebat, quam ne quid oculis hominum objiceret, unde sanctitatis colligeret opinionem, aut aliquo esse in pretio videretur. Laudatores haud secus atque insidiatores fugiebat: & in cubiculo deprehensus aliquando cum oraret, è terra eminens, eum qui viderat, jurejurando adstrinxit ne cuiquam mortalium, se vivo, indicaret. Certamen quoddam Deum inter & sanctos intercedit, ut quanto se deprimunt magis, tanto altius à Deo atollantur. Tota civitas ad sui civis (nam Hispalensis erat) funus celebrandum concurrat: feretrum proceres humeris subierunt; populus ad manuum & pedum oscula flens ejulansque processit: diripuit vestimenta, vixque corpori temperavit. In Societatem venerat ætatis anno septimo & vigesimo\*, jam sacerdos & curandarum animarum peritus. Theologiam, quæ à schola nomen habet, docuerat in collegio Cordubensi: quæ tractat de moribus, in Trigurensi; cui postea, & Gaditano, præfuit. A Bætica provincia delectus interfuerat Congregationi quintæ generali anno MDXCIII. Roma reversus Hispalim, ibi consenuit, ac tomos tres illos aureos de virtutibus Christi elucubravît.

Cum Joannem Avilam, insignem illum interioris vitæ ac virtutis magistrum aliquando inviseret (nam suavissima erant inter se amicitia & familiaritate conjuncti) anxium, & contrâ quàm solebat, mœstum offendit. Quærit Arias quid rei novæ acciderit: negat ullam satis justam ipsi majoris causam esse, qui totus in divina gloria, in salutem animarum procuranda sit. Dolet mihi, respondit Avila ingemiscens, quod caream uno maximo, quo tu, mi Pater, frueris, bono; nimirum obedientiâ. Sint illæ sanè, quas dicis, occupationes Deo gloriosæ, proximis non inutiles: at quo scire possum pacto me illis placere Deo, & ejus implere voluntatem; in quo tamen summa perfectæ virtutis est? an rem illi acceptiorem sim facturus si pagatim instituum rusticos, quàm si dies totos in sacro tribunali confessionis hæream? Sed quodcumque tandem religiosus vir agat, pro certo habet Deum id velle, nihilque aliud esse, quo illi gratificari & servire magis queat. Digna vox tanto veræ pietatis magistro, & quæ magno religiosis omnibus viris tum solatio, tum incitamento, sit!

CAROLUS Casarius brevissimo vitæ cursu metam religiosæ perfectionis adeptus, & B. Aloysii Gonzagæ vestigia proximè persecutus fuisse creditur. Jam inde à principio tirocinii molem arduam eximia sanctitatis extruere cœperat, quam annis quinque ad culmen perduxit. Cum philosophiæ curriculum absolveret, in morbum incidit. Ad magnam sanguinis vim, quæ repente prorupit ex ore, accessit acuta febris, quæ illum tertio post mense sustulit Parmæ\*. Eodem semper animo & vultu, seu valeret, seu morbo cruciaretur, mansit. Cum arderet siti, nihil quidquam unquam, quo intestinos ignes exstingueret, postulavit: nihil remedii oblatum à quibus oportebat, licet asperum, respuit: nullum summis in doloribus signum mentis ægræ, fastidientis, perturbatæ dedit. Ipsi medici non semel testati sunt ad eum se venisse idcirco tantum, ut ejus modestiæ, & patientiæ exemplo fruerentur; & è nostris multi ejusdem tacito aspectu se acrius inflammatos ad studium perfectionis, quàm diuturna rerum divinarum meditatione, confessi sunt. Dici non potest quam suaves in affectus, & sacri plenas ardoris voces erumperet, sive arderet patriæ cœlestis desiderio; sive Christi è Cruce pendentis effigiem stringeret amplexu, exoscularetur, compellaret.

Constans opinio illorum fuit, quibus erat notissimus, nullam instituti nostri vel minimam legem ab eo fuisse violatam: passimque omnes prædicabant nihil à se notatum in illo, quod reprehendendum culpandumve judicarent. Modestia singularis, animi religiosa demissio, divini honoris propagandi cupiditas, voluntas cum divina mirè consentiens, juncta comitate gravitas & prudentia, cunctorum admirationem & amorem illi conciliabant. Corpus in separato feretro conditum,

vita

\* Anno 1561.

68.  
Obedientiæ religiose pretium.§. XLVII.  
CAROLUS CASARIUS, & FRANG.  
MORENUS.A. C. 1606.  
Soc. 67.

\* Die 2. April.

vita conscripta, exempla virtutum ab eo, seu dum viveret, seu dum suprema ægritudine conficiaretur, edita, testimoniis virorum gravissimorum fuere consignata. Vigésimum primum ætatis annum non excefferat.

Franciscus Morenus, Hispanus, in domestica rei adiutorum gradu sedulitatem sacerdotum & studia æmulatus est; in pueris præsertim erudiendis, quibus artem legendi scribendique tradebat. Accurrebant parentes è remotissimis urbibus, ut suos ei liberos traderent. Ipsimet pueri non rarò visi sunt armatis veluti precibus, & inita conjuratione, pro illo retinendo dimicare; si quando rumor increbuisse illum, relicta schola & docendi munere, aliquò discessurum. Accidit etiam ut sibellum supplicem urbis senatui ad eum revocandum obtulerint. Huic puerili scholæ addictus magnam vitæ partem consumpsit, in collegiis Optensi, Securano, Caravacensi, & Villaregiensi; in quo vivendi docendique finem fecit.

69.

Christiana puerorum institutio.

Illud antiquissimum habebat ut singularem pueris amorem in Deiparam instillaret, singulisque persuaderet eam ut adoptarent matrem ac patronam, simulque filiorum erga illam animos ac fiduciam inducerent. Progressus inde paululum insinuabat illis orandi artem; in eaque plurimi quantos facerent progressus dici vix potest: adeo facile cerea puerorum ætas sequitur quocumque ducas! Denique utilium librorum, quos illis affatim subministrabat, lectione, colloquiisque piis, teneras virtutum stirpes in excultis mentibus alebat. Non alii puerorum domi forisque sermones erant, quàm de Christo, ejusque acerbissima nece, de inferorum pœnis; de obeunda, dum tempus est, flagitiorum pœnitentia.

Ad Morenum deducebantur potissimum pueri, quorum indoles atrox & impotens nullo coerceri posse freno videbatur. Vix ingressi limen scholæ impotentiam ac feritatem deponerent. Iidem natu grandiores, se totos illi dedebant, ac sanctissimis præceptis exemplisque informati, religiofas deinde familias impleverunt. Nec pueruli duntaxat ejus proficiebant institutione, sed etiam viri: neque semel contigit ut adirent ultrò ad eum homines flagitiis cooperti, & certa melioris vitæ consilia susciperent. Differentem aliquando in frequentissimo confessu de divino amore, audivit insignis theologus; totusque inardescens flammis cœlestibus, quæ dicentis ex ore prorumpebant, tenere se non potuit, quin clamorem tolleret repentinum; deinde lacrymas ubertim funderet, demum se proferret, iis ut liberius indulgeret domi suæ. Quemadmodum certissimus, ac latissimè patens, capitur è bona puerorum educatione fructus, ita maximum hostibus humani generis dolorem inurit. Ergo ab utilissima occupatione Morenum ut abducerent, tædium laboriosæ scholæ sæpius injecerunt: quàm maximè tentatione decentium alacritas eliditur. Quid enim videtur gravius, quàm versari assidue cum pueris, eorum ineptias devorare, perferre improbitatem, mores distortos & impolitos fingere? Molestiam hanc Morenus oratione, ac meditatione magnarum, quas affert educatio puerilis, utilitatum vicit\*. Depulsi hac parte nefarii spiritus, alià illum invadunt. Morbis acutissimis ac toto sparsis corpore obruunt, tanto doloris sensu, ut ad compescendos ejulatus fauces panno involvere cogeretur. Nihil tamen de consuetis pietatis exercitationibus, nihil de rigore vitæ ac pœnitentiæ remittebat. Ergo ad alios terrores conversi, induunt formas horribiles; minis verberibusque sæviunt. Instaurant veterem Ægypti plagam; & ranarum ac bufonum specie fœdâ involant in ejus cubiculum, ad pluteum adrepunt, lectulum obsident, assultant humeris; scribenti, oranti, quiescenti, vescentique obstrepunt molestissima vexatione: quæ illi nihilominus nunquam vocem aut ullum animi stomachantis & commoti signum excussit.

Quo gravius oppugnabatur, eo plures sibi pœnas ipse infligebat; ita leviora fieri quæ foris ingruerant mala, dictitans. Cilicio semper indutus in tabula nuda cubitabat: nec frigoris æstusve inclementiam superabat alio remedio, quàm patientiâ. Sexies quotidie recessus animi scrutabatur, ut eum à levissimarum nozarum fordibus purgaret: horas quatuor precationi ac meditationi cœlestium rerum impendebat. Divinæ bonitatis est adversis miscere prospera; lætis tristitia. His à Deipara verbis suavissime compellatus aliquando fuit: Confide, fili: Ecce mater tua. Mœrore fractum aliàs, & doloribus oppressum solatus est ipse Christus, de  
Cruce

\*Vide Lib. XVII §. VIII. &c.

cruce pendens, & hanc mittens vocem: *Franciscæ, non hic mea causa pendeo, sed tua; ut à me remedium, opem, vitam habeas.* Angelo vero custode perquam familiariter utebatur: cujus tutela fretus ac præsentia Stygiæ dæmonem vires contemnebat. Quidquid orabat Deum, videbatur exorare: idque multis argumentis exploratum habebatur. Caravacæ, ac Villaregii, sitientes agros urebat æstas arida: jamque frumenti penuria laborabatur. Confugiunt incolæ ad Morenum: ejus precibus cœlum momento reclusum fertilem pluviam arvis poscentibus indulgit.

Sæpe abstractus à sensibus, & in divinæ majestatis, potentiae, sapientiae, bonitatis admiratione defixus consistebat: Deumque in omnibus magnum & beneficium intuens, novum, quo cœlestis ille ignis arderet semper, fomitem undique colligebat. Hinc mirum ducebat robur ad excipiendos Erebi crudeles impetus: qui tanto evadebant acriores, quanto ipse longius ætate ac virtute progrediebatur. De futuris rebus multa cognovit, monstrante Deo. Reditum ad Societatem, & obitum P. Bartholomæo à Sicilia prædixit. Defecerat ille à Societate, ut suo loco memoravimus\*, in seculi profani & negotiorum fluctus rejectus è portu. Eum Morenus forte obvium habuit, utque se ad supremum iter compararet admonuit: brevi enim fore ut ambos patria cœlestis exciperet. Hac voce percussus Bartholomæus, spretis opibus, & potentissimi Principis gratia, recepit se ad pristinum vitam institutum, in eoque pie decessit. Ipse Morenus non interruptum pietatis religiosæ cursum annos natus duos & septuaginta feliciter absolvit, tranquillitate animi summa & hilaritate; cum diceret jamdudum sibi esse provisa quæ ad negotium tanti momenti rectè obeundum necessitas postularet.

ANNIS duobus senior decessit eodem anno MDCVI. in Germaniâ P. Theodoricus Canisius, magni Canisii frater, doctrina, pietate, salutis alienæ studio, fratri simillimus. Noviomagi anno trigesimo secundo supra sesquimillesimum natus, in Societatem adscitus MDLIV. priores annos egit in tradenda philosophia & theologia; posteriores in regendis collegiis, Monachienfi, Dilingano & Ingolstadienfi: religiosæ disciplinæ custos acerrimus; ut facile intelligeres illum è S. Ignatii, quem magistrum virtutis habuerat, schola prodiiisse. Ante annos octo cum de fratris morte audivisset, subita correptus est apoplexia, id quod ipsi frater non obscure prædixerat\*, eum sic admonens: Vide ne mortis meæ nuncius tibi aliquid apporet mali. Morbum immedicabilem, quem septennio toto invicta patientia pertulit, leniverunt paulisper admotæ laboranti reliquiæ sancti Patris Ignatii. Orbatus omni sermonis commercio, propter hæsitantiam linguæ, ac memoriæ jacturam, nihilominus sacerdoti peccata sic aperiebat, ut linguam expeditiorem non desiderares; quin, sanctissima JESU & MARIÆ nomina, ceterorum oblitus, nullo negotio pronunciabat. Iis pie appellandis immortalis, supremum placidissime spiritum edidit V. Cal. Octobr.

Quam fuerit cordi S. Ignatio cura pueros ac rudes instituendi ex eo intelligi potest, quod præceperit ut Professus quilibet Societatis, & Coadiutor Spiritualis Formatus, intra annum à suscepto gradu; itemque Rectores ac Præpositi, quo primum anno regimen auspicantur, doctrinam Christianam per dies quadraginta populo tradant\*. Præpositi vero Generalibus commendavit gravissimis verbis ut *circa hujus rei providentiam diligenter invigilent; cum nulla sit fructuosior vel proximis ad edificationem, vel nostris ad caritatis & humilitatis simul officia exercenda.* Secutus mentem atque adeo exemplum Beati Fundatoris P. Jacobus Gusmanus in hanc docendi rudes ac pueros curam incubuit, tanto majori humilitatis commendatione, quanto clariore illius natales erant. Hispanorum quippe Regum stirpe oriundus, à parentibus in magnas illustri familiae spes alebatur. Christo aliter visum, qui suæ illum familiae, ut salutis multis esset, destinaverat. In eam coopatus est, cum id minimè agere videretur. Salmantica rerum divinarum scientiam perdiscebat, doctore Gaspare Loarte; simulque perfectioris vitæ ac virtutis magistrum frequens audiebat Joannem illum Avilam, Hispaniâ totâ celeberrimum. Eo duce atque auctore Gusmanus sacerdotio initiatus, mortaliam despiciere cœpit, inque animarum salutem, unâ cum suo theologiæ magistro Gas-

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

Ooooo

pare

\* Lib. XI. n. 125.

§. XLVIII.  
PP. THEODORICUS  
CANISIUS, &  
JACOBUS GUSMA-  
NUS.

\* Suprà. num. 44.

70.  
Doctrinæ Christi-  
anæ rudibus  
tradendæ cura.

\* Constit. P. IV.  
c. 10.

pare Loarte, incumbere. Uterque jam per triennium, Apostolico more, varias patriæ regiones peragraverat, cum antistes Calagurritanus, aliquot Joannis Avilæ discipulos expetivit, quibus adjutoribus in sua diœcesi lustranda, & à vitiorum errorumque sentibus purganda, uteretur. Jacobum Gusmanum & Gasparem Loartem Avila delegit, ac jussit nominatim ut P. Franciscum Borgiam convenirent, à quo rationem impositi sibi muneris rectè administrandi perdiscerent. Utrumque Borgia perhumaniter excepit, ac piis meditationibus paulisper excoluit: in quibus concepto divini Spiritus igne adeo sunt incensi, ut nomen ambo Societati dare decreverint.

71.  
Joannes Avila  
discipulos suos  
ad Societatem  
aggregari gau-  
det.

Eos hac lege admisit Borgia, ut sacram, quò destinati erant, expeditionem prius obirent. Itaque anno toto diœcesim pervagati, tales se præbuerunt, quales Avilæ discipulos & alumnos decebat esse. Ille vero, statim atque ipsos ad Societatem aggregatos cognovit, incredibili est affectus gaudio; quippe Societatis progressu, virtute, fama, perinde lætabatur, ac suis ipsius bonis, quæ dos vera sanctitatis est. Invidia, noctuæ similis, aliena luce uritur ac tabescit. Imo profitebatur sibi olim descriptam in animo fuisse instituti nostri formam: sed quod ipse, præ virium imbecillitate, non potuisset exequi, aiebat ab Ignatio, quem gigantem vocitabat, fuisse perfectum. Discessuris in Italiam anno MDLIV. ad ponendum tirocinium, carissimis alumnis hæc mandata dedit: Ut se ad crucem quamlibet subeundam compararent, ad calumnias & contumelias lætissimis animis excipiendas: ut gauderent, instar vilissimi luti, proculcari ab omnibus, & ubique tanquam omnium novissimi sederent. *Locus*, inquit, *in quo statis, terra sancta est*: cupiditates & curas rerum caducarum, ut calceamenta quedam, exuite: nec voluntatis tantum propriæ nutum, sed intelligentiæ quoque judicium deponite; nihil dubitantes quin id plane Deus velit, quod vestri vobis præfides imperabunt. Vestrum quidem hoc opus, hic labor esse debet, bene de omnibus mereri, omnium saluti consulere: delectus verò laborum & occupationum, in quibus proximos adjuveris, vester non est. Reguntur à Deo rectores familiarum religiosarum; & consiliorum suorum habent causas, quæ vobis latent. Vos igitur totos illis permittite, ommissisque inanibus curis, eam Christi vocem animo sepevolvite; *Quid ad te? tu me sequere*.\*

\* Exod. 3.

\* Joan. 21.

His informatus monitis Gusmanus Apostolico muneri, statim post tirocinium exactum, addictus est à S. Ignatio; ac totam fere Italiam, magnamque Hispaniæ partem, docendo plebem infirmam & primæ sacræ doctrinæ capita rudibus explicando peragravit. Diurno labore fatigatus in nosocomium solebat divertere: viæ tædium concinendis meditandisque Deiparæ laudibus levabat. Cum erat ædis sacræ copia, complures horas ante sanctissimum Sacramentum consumebat orando, novasque rationes divini sacrificii majori cum pietate ac fructu quotidie celebrandi excogitabat. Sic assueverat bonam in partem aliorum dicta vel facta interpretari, ut nihil non excusaret, condemnaret nihil. Quàm autem erat prolixus & perspicax in alienis laudibus commemorandis & audiendis, tam erat cæcus ac surdus in suis: nec de se injicere sermonem, aut injectum alere, auditus unquam est. Cum atas ingravescens ipsi facultatem ademisset prodeundi domo, & populum pagatim erudiendi, ut solebat; Hispali sodalitatem instituit, quam heredem hujus curæ & muneris utilissimi reliquit. Certum igitur vestigial curavit attribuentium educandis clericis, qui hanc docendi rudes provinciam unice susciperent. Quo exemplo deinceps Compluti, aliisque in urbibus sodalitia ejusmodi sunt fundata, magno animarum fructu, præsertim agresium. Pereunt illæ non raro docentium penuriâ, quibus urbes nimium multis abundant. Extremos vitæ annos, quam usque ad octogesimum tertium protulit, variis & gravibus morbis exercitos habuit, sed patientia & animi æquitate insignes: quo fere tempore infirma & querula senectus, omnia fastidians, sibi & aliis oneri est.

§. XLIX.  
PP. MICHAEL A  
FONTIBUS, ET  
ALEXANDER  
HUNNÆUS.

QUAM virtutis & gloriæ materiam Gusmano Europa dederat, hanc suppeditavit P. Michaeli à Fontibus India; ubi per annos viginti christianam religionem propagavit. Cum vocantem ad religiosam vitam Deum non audiret, ille cæsus li-  
centia

rentia juvenili, accidit ut transacta per ludum nocte, inerraret aliquando per urbem. Tunc audire visus est vocem minaciter inclamantem: Quo pergis, miser? Quo te is perditum? Ac primo quidem neglexit: sed iterum minitantem audiens, dirigit; obortisque lacrymis in Deiparæ sacellum vicinum fugit: ubi noctem reliquam excubans, in Virginis sanctissimæ fidem & clientelam totum se contulit. Mox ad vitam è virtutis veræ norma componendam aggressus, non satis habuit mutare mentem ac mores, nisi mutationem hanc in eorum defigeret oculis, quibus offensionis aliquid solutori vita obrulisset. Jocis æqualium ac ludibriis exceptus, luit sanè libenter hanc pœnam exempli deterioris, quodcumque illis præbuerat; ac pietatem palam colere instituit. Cum tamen ne sic quidem vocanti Deo satis auscultaret; se demum suaque omnia illi permisit, gravi admonitus periculo. Nam iter facienti per urbem molare saxum, à vitioso divulsum muro, ante pedes corruit. Obterendus erat, si gradum promovisset. Tum enimvero sublatis in cœlum oculis, Do manus, inquit, ô Deus, & quo vocas, sequor. Nec distulit ambire Societatem, in eamque venit anno MDLIX. cum ipse alterum a vigesimo ageret. Est hæc naturæ mortalis imbecillitas ac labes, ut in rebus arduis capeffendis tarda; in prosequendis parum sibi constans ac firma sit. Christi jugum Michael noster latus alacerque subierat: refrixit ille paulatim ardor; contentio prima relanguit. Cessanti divina bonitas hunc in modum stimulos addidit. Florebat Gandiæ, ubi tirocinium ponebat, virgo sanctitatis fama non vulgari, Elizabetha Texera. Huic obtulit se videndum, ut aliàs sæpe, Christus, prægravem humeris crucem attollens: adesse videbantur tres è Societate novitii: quorum unus immane crucis pondus impigrè complexus, Servatorem parte oneris levabat: alter eam digitulo tangebatur molliter: tertius adstabat procul, spectator inutilis. Ad virginem ductus est forte Michael à magistro novitiorum, qui eam audire consententem solebat. Hæc ut juvenem aspexit, nunquam antea cognitum, compellavit nomine: mox, Ecquid, ait, crucem Christi tantum horres? Ac deinde, quid vidisset exposuit. Agnovit se in hac imagine novitius, & erubuit: illosque repetiit animos, quos habuerat, cum primum se Christo daret: neque postea visus est hunc pietatis ardorem remittere. Illo succensus imperia majorum lætissimus excepit, quibus in Peruam ire jubebatur. Ivit anno MDLXVII. & Christum primus in amplissimas Americae provincias intulit.

Id studebat unicè ut ii, quos erudiebat, capitales cum peccato gererent inimicitias. Itaque cum ex Indico neophytorum grege, quempiam de scelere suspectum interrogaret, Egone, ait ille, istud fecisse aut cogitasse possum, qui Christianus sim? Nec minori satagebat cura, ut Virginem Deiparam singulari amore complecterentur. Quamobrem accuratè docebat quæ illius colendæ ratio, quis recitandi rosarii dexter modus, quæ virtutes ejusdem potissimum imitandæ. Idque ut impensius etiam faceret, incitatus exemplo est. Cum enim iter haberet per inculta montium juga, fœdam tempestatem collectæ subito nubes conciverunt. Ruere imber densissimus, mugire tonitrua, fulmina vibrari. Secedit in speluncam, cum barbaris quinque ipsi comitantibus; & continuo ad orandum se accingit. Exemplum secuti duo è comitibus rosarium piè recitant, aliis otiosè confabulantibus. Ecce autem improvisum horribili fragore fulmen in speluncam irrumpit, & illos congerrones, ceteris salvis, mactat.

In Europam ex America revocatus ob negotia gravissima, iis confectis, cum regressum in Peruam, quò votis omnibus ferebatur, intercluderet effeta jam ætas; sic in Aragonia constitit, ut locum mutatum diceres, non laborem. Oppida vicinosque pagos concursans, ibi plus impendebat operæ, ubi majorem doctrinæ salutaris penuriam, & solitudinem à sacris oratoribus intelligebat esse. Nullus dies abibat quin aut in templo, aut in carcere, aut in nosocomio pro concione diceret. Concionem præparabat attenta precatione, in qua tres quotidie horas consumebat. Verba de Deo facturus ad frequentem populum, procidebat supplex per unam aut alteram horam ante Christi crucifixi effigiem: inde hauriebat ea quæ dicturus erat; & ab hoc divino fonte hausta esse apparebat. Pedibus iter obire,

Ooooo 2

uti

72.

Odium peccati.  
Cultus B. Virginis.  
Apparatus ad conciones. Laboris solatium.

uti vestitu obsoleto, humilitatis ac patientiæ materiam omnem consecrari, solenne illi ac dulce semper fuit. Cum aliquando graviore labore fractus, animo pariter & corpore langueret, obtulit se illi Deipara cœlesti refulgens luce, ac bonum animum habere iussit: affirmans fore, ut ejusmodi ærumnis purgatus, ac penarum, quæ in piacularibus penduntur ignibus, immunis recta in cœlum post mortem evolveret. Hoc idem illi Christus Dominus confirmavit, eumque de concessa peccatorum venia, ob quam anxius diu hæserat, certiore fecisse dicitur: nec semel ipsi res varias, quæ post erant eventura, monstravit. Morbo & marore, quem permolesti creabant conscientia scrupuli, laborantem S. Vincentius Ferrerius, cujus erat apprimè studiosus, liberavit. Ejus obitum, & insignem in beatorum regno locum, multi divinitus cognovere: ac præsertim Franciscanus, eximia vir probitatis, & spectata rerum abditarum cognitione præditus. Ille ab antistite Valentino, quem Paulus V. examinandis D. Ignatii miraculis præfererat, interrogatus respondit visum sibi fuisse Societatis conditorem cum Deipara Sanctissima, Divisque Petro ac Joanne, procedentem obviam animæ felici, è vinculis corporis in cœlum emicanti; quam coronâ redimire Virgo Dei mater videbatur. Jussus Franciscanus edere beatæ illius animæ, quam excepturus prodierat Ignatius, nomen; Patrem Michaelem à Fontibus, Societatis Jesu alumnum, esse dixit. Ejus mortem assignat collegium Valentinum, ubi decessit, tertio Idus Februarii MDCVI. & anno ætatis LXVIII.

P. Alexandri Hunnæi obitus in eundem annum incidit, non in consequentem, quò ab aliquibus rejicitur. Ortus clarissima Hunnæorum gente in Scotia, parentum piâ & liberali disciplinâ institutam habuit pueritiam. In Galliam profectus litterarum causa, eas ingenio excellenti celerimè complexus est. Juris scientiam Avarici Biturigum docebat, cum ad Evangelicæ scientiam perfectionis in Societate perdiscendam animum appulit: ac paucis mensibus eos habuit in religioso instituto progressus, ut viri graves, & rerum nostrarum peritissimi, affirmarint vix quidquam in eo desiderari ad virtutem perfectam potuisse. Christiani potissimum & religiosi præceptoris, in erudiendis adolescentibus, regendaque schola, numeros omnes explevit.

Singulorum, præsertim si qui viderentur deteriores, benevolentiam sibi adjungebat, ut eos ad Christum perduceret. Nullum in eo dictum aut factum a discipulis animadversum unquam est, quod religiosum virum non deceret: tam erat sui compos, ac perturbationis omnis expertus. Quæ ratio longè certissima est coercendæ juvenilis proterviæ. Si quid porro in eorum animis aliùs defixum esse cuperet, hoc tanto mentis ardore, qui etiâ emicabat ex oculis; tanta vocis suavitate tractabat, ut omnes inflammaret. Quam in ludo litterario eloquentiam exercuerat, eandem in templis, & sacris concionibus, non splendide minus ac utiliter exprompsit. Concionem meditato diligenter Evangelio, & collectis Patrum sententiis instruebat: quam supellestem circumferebat adeò expeditam, ut operosa præparatione ac libris facile careret. Ejus occursum, & quamlibet cum eo dimicationem, summa ope fugiebant hæreseos magistri, cum scirent se statim contortis, quæ habebat in promptu, Patrum & Scripturæ testimoniis, quasi jaculis configendos. Quos ad Fidem ab errore traduxerat (quamvis eorum infinita prope foret multitudo, maxime in Genevensium finibus, ubi quinque sexve annos strenue desudavit) plerosque omnes descripsit in codice, ut statim temporibus Deo pro ipsis supplicaret. Morum suavitas & candor, integritas vitæ, incensus animos juvandi ardor, laboris assiduitas ac tolerantia, ceteraque virtutes faciebant ut illum tanquam hominem de cœlo lapsum omnes suspicerent, seque illi totos fingendos stectendosque dederent. Quod in castris Caroli Emmanuelis, Sabaudia Ducis, maxime perspicere licuit: ubi ab ipso Duce, primariisque centurionibus audiebatur, instar oraculi; & à militibus, parentis instar, diligebatur. Invectæ cum eo modestia, pietas, pudor licentiam, otium, ceterasque castrorum pestes fugaverant. Solvit illum corporis vinculis \* in collegio Camberienfi, acutissimus calculi dolor, quo martyrii genere videtur Deus satiari voluisse cupiditatem, qua

flagra-

73.  
Scholæ puerilis  
cura. Concio-  
num supellex.

\* 28. Martii.

flagrabat profundendi pro salute mortalium & divina gloria sanguinis; & cujus explendæ occasiones omnes aucupatus erat.

Libet nostris addere præclarum illud eruditorum lumen, eodem extinctum, anno Lovanii, Justum Lipsium: quem nostrum haud immerito dixerim, pro singulari benevolentia, qua Societatem complectebatur. Adscriptus Beatissimæ Virginis sodalibus in collegio Lovaniensi, omnes assiduitate ac pietatis studio superabat. Primus inferebat pedem in sodalium solitis diebus; postremus efferebat. Paulo ante mortem interrogatus à P. Leonardo Lessio, quo ad sacras confessiones urebatur, cujus rei potissimum recordatione tunc lætaretur, affirmavit hoc maxime solatio sustentari se se, quod Deiparam à teneris ex animo coluisset, ejusque in sodalitem fuisse coopatus. Mox, oculis in cælum sublatis, *O Mater Dei*, exclamavit, *adhs famulo tuo, cum tota eternitate decertanti*. Neque sapius quidquam aut impensius fecit ad extremum usque spiritum, quam ut ejus nomen suavissimum vocibus intermortuis appellaret. Admonitus inter acerrimi dolores morbi ut, quæ de sapientum patientia tam eruditè scripserat, meminisset; digito in Christi crucifixi effigiem intento, respondit: Hæc est vera patientia: Domine, Jesu, doce me patientiam Christianam. Rursus, cum in aliqua una cogitatione diutius attentiusque defixus hæreret, rogantibus ecquid animo versaret; *Æterna*, inquit, præmia laborantibus promissa. Ea sibi semper fuisse, dum viveret, proposita subjunxit. Idque habebunt facile persuasum qui magnam excellentis viri mentem ab humanis commodis longè disjunctam cognoverint: cujus ea modestia fuit, ut à Rege Franciæ invitatus magna mercede ad capeffendam Delphini Galliarum institutionem, excusaverit tenuitatem suam; ac tranquilla pietatis in otio erudito colendæ opportunitatem muneri honestissimo præposuerit.

P. Achilles Galliardus, Paravinus, Societatem unà cum duobus germanis fratribus, ipse maximus natu, inierat anno MDLIX. Philosophiam in collegio Romano docuit, vix annos quinque & viginti natus: deinde theologiam Paravii & Mediolani. Postea Taurinensi collegio & aliis multis annos præfuit: Mediolanensem & Venetam Professorum domum rexit. Pollebat magna dicendi ad populum facultate; quam volutandis nocturna diurna manu Sanctorum Patrum monumentis alebat: nec minori solertia ad exercendos homines piis commentationibus, ad quas illos industria singulari perducebat. Nullum erat fere civium genus, cui peculiarem operam, suisque descriptam locis ac temporibus, non impenderet. Curam gerebat opificum, mercatorum, sacerdotum, religiosorum, sacrarum Deo Virginum; seque unum in omnes veluti partiebatur. Extremum ætatis senio \* & morbis gravata tempus patièdo consecravit; cum ceteras ejus partes agendo illustrasset. Dimidio corpori motum omnem apoplexia eripuerat; cumque vivum bona sui parte cadaver dimidia mors abstulisset, animus integer ac lætus expectabat, dum *contrito*, qui supererat, *laqueo* \* ad superos evolare.

Divitem bonorum exemplorum thesaurum eodem anno collegium Ferrariense perdidit Joannem Petrum Divitiam, rei familiaris adiutorem. Modestiam, ad omnes, quæ nobis de illa virtute præscriptæ sunt, regulas compositam præ se ferebat: quæ una miras ad conciliandos externorum animos illecebras habet, ac pulcherrimum mentis religiosæ speculum est. Hac ille omnes & sibi & Deo devinxerat. Cum procuratoris in Veneta Professorum domo socius, sapissime foris esse cogerebatur; prodibat nunquam, nisi onustus piis libellis, rosariis, numismatis sacris, quibus munusculis delinicos homines ad peccatorum confessionem & studia pietatis alliciebat. Ardore pari ceteras virtutes coluit. Ter singulis hebdomadis divino pane vesceretur. Totum illud tempus, quod à sumpto cibo in familiari, ad animos paulisper laxandos, sermone conteritur; id cœlestibus cum Christo colloquiis ante majorem aram transigebat. Ad ignem accedebat nunquam, etsi rigida sæviret hyems: cubabat in lodice vili, sine culcita; multos dies producebat jejunos. Hoc etiam habebat, ut erga bene de Societate meritos gratum ac memorem animum in primis adhiberet; vivos illos colere, mortuos & suis & alie-

74.  
Justi Lipsii pietas; & benevolentia in Societatem.

S. L.  
P. Achilles Galliardus: Joann. Petrus Divitia, & P. Michael Rogerus.

A. C. 1607.  
Soc. 68.

\* Obiit an. æt. 70.  
Mutine. Pridie  
Non. Quintil.

\* Psalm. 123.

\* Vide Lib. XV.  
num. 32.

alienis precibus adjuvare conabatur, & ad eam curam sedulo nostros excitabat, quod sua, ut aliàs diximus, sponte Societas tota facit\*.

Longum & felicem utilis ac laboriosæ vitæ cursum Salerni absolvit P. Michael Ruggierus, sive Rogerius, cui fuit divinitus concessum, quod S. Francisco Xaverio negatum erat, ut primus omnium è Societate pedem in imperio Sinesis poneret. Ortus Gravina in regno Neapolitano, post artem primam in studio litterarum contritam, maximis fuit negotiis, propter insignem juris scientiam, pari conjunctam prudentia & sagacitate, administrandis præpositus. Jamque famam non vulgarem, opeque collegerat, cum oblatas à blandiente fortuna spes, remque lautam, ut vocantem Christum in Societate sequeretur, abiecit. In Indiam cum Patribus Rodulpho Aquaviva, & Matthæo Riccio, solvit anno MDLXXVII. Post brevem operam in ora Piscaria navatam, accitus est Macaum à P. Alexandro Valignano Indiæ Visitatore, de Sinarum imperio in Christi libertatem afferendo consilia dudum agitante. Ibi totum se dedit cognoscendis Sinarum litteris, molles aditus in amplissimum imperium, & præstituta celestibus decretis tempora opperiens. Ibant Lusitani statis mensibus, ad nundinas, in Quantuniam provinciam: ivit cum illis, tum explorandæ regionis causa, tum perdiscendi mandarinorum & litteratorum sermonis. Hic enim tantum à vulgari sermone discrepat, quantum vir nobilis à plebeio. Limatus loquendi usu longo, prætorum urbanum ausus est officii causa convenire. Acceptus non inhumaniter, laudavit apposite hominem, & magnum cognoscendi Sinicas artes ac literas desiderium præ se tulit. Ubi delinitum hac vidit esca, postulavit ut sibi copia fieret inter Sinas, à quibus facilius disceret, in urbe Quamcheo, commorandi: quod negatum hætenus fuerat Lusitanis. Cum enim diem exegerat in nundinis & urbe, referebant se sub vesperam ad naves, ibique pernoctabant. Impetravit; ac primus nostrorum sedem in Sinica civitate collocavit.

Re ad aulam delata, excitatus derepente Sinarum suspicax de hominibus exteris metus, contemptu mistus & odio, Rogerium fugere compulit. Revocatus eventu miro, ut legere est Libro IV. hujus Partis V. domicilium in urbe Sciauquino, & Evangelii prædicandi potestatem adipiscitur. Inde omnem captabat occasionem in interiores imperii partes penetrandi, atque adeo ipsum imperatorem conveniendi, cujus auctoritas omnino necessaria videbatur ad rem Christianam stabiliendam. Nulla homini externo patebat via: nullus, etiam inter proceres reperiebatur, qui hospitem & peregrinum producere in hanc Sinicæ majestatis lucem auderet; ad quam vix Regum ac Principum legati cum exquisitis muneribus aspirabant. Ars una rei conficiendæ visa est facillima & certissima, si legatio à Pontifice Maximo, & Rege Hispaniæ mitteretur ad Sinarum imperatorem. Hanc viam tentare placuit. Destinatur in Europam \* ad Sixtum V. & Philippum II. Rogerius, nempe totius regionis apprime gnarus, ut mentem utriusque de tanto negotio exquirat; ac legationem adornet. Probavit Hispania consilium, probavit Roma. Quid obstiterit quominus res ad exitum perduceretur, diximus Lib. XIX. \* Rogerius annis, & exhaustis terra marique laboribus confectus substitit Salerni, & privatis maximarum virtutum exemplis ornavit Societatem, quam in imperio Sinesis patientia, eruditione, pietate illustraverat.

\* Anno 1588.

\* Num. 2.

S. LI.  
PP. LUCAS EL-  
LENTZ, CONRA-  
DUS ONNEKIN-  
CKUS, & FRANC.  
BENAVIDES.

P. Lucas Ellentz per annos decem verba Treviris fecerat in præcipuo urbis templo. Prima luce anni MDCVII. cum sanus & valens ad dicendum processisset, vitam cum ipsa concione clausit, è suggesto elatus ad tumulum. Concionandi laborem sex ipsis & viginti annis pertulerat indefessus, & semper ad dicendum expeditus, quocumque obedientia vel caritas vocaret. Non inducias laboriosi muneris, non vacationem ab audiendis in templo confessionibus, a lustrandis carceribus & nosocomiis, postulans. Singulari pollebat dote ad veneficos & magos, quorum feraces vicinæ valles erant, Sathanæ eripiendos. Plures ducentis igni damnatos, ad feralem profectus rogum fertur. Ea gratia pernoctare in ergastulorum fordibus, dies totos absque cibo transigere, itinera longa

longa & ardua ingredi non cunctabatur; donec prædas jam propè devoratas ex Erebi faucibus avelleret.

Palatioli (oppidum est in Trevirorum conspectu) comprehensi fuerant ejus generis duo facinorosi. Advolat, hortatur, evincit ut damone deserto ad Christum se convertant. Illi caritate hominis permoti, & ejus potius quam suam vicem dolentes, orant ut suæ saluti consulat; admonentque constitutum fuisse in conventu magorum nocturno, ut è medio quamprimùm tolleretur. Obscraunt in primis ne postridie cum ipsis eum, ubi erant afficiendû supplicio, locum subeat: si enim venire pertendat, certissimè periturum. Hæc risu Pater, ut solebat, excepit, & ire porro perrexit. Jam fontes ad infelicem alligati stipitem erant, jam ignis pyræ admovebatur: quæta omnia & secunda. Cum subito coorti è diversis sereni cœli partibus venti solem atris nubibus obducunt, imber diluvio similis prorumpere, intonare fulmina, crepitare densa grando, populus in vicinam silvam fugere. Perstat Pater immotus, & adstrictos palo reos, cohortari non cessat. Increscunt nimbi, disjicitur lignorum strues, cœlum terris miscetur; ita ut stationem paulisper omittente coactus fuerit; cum exaudiri jam vox nulla posset. Obtritu periiisse credidit populus. Rediit incolumis, ubi primum resedit insanus procellæ fragor: ac morituros accendit exemplo constantiæ, ad vincendum imminenti leti metum, & spernendam tyranni Avernalis imbecillitatem.

Suum quoque concionatorem Moguntini Patres extulere, P. Conradum Onnekinckum, Westphalum; anno ætatis quinto duntaxat ac trigesimo. Lugendus eo magis & immaturus fuit ejus obitus, quo præstantior ipsi erat & ad dicendum natura, & virtus ad agendum. Ante quam iniret Societatem, jam tum habebatur honor illius probitati; ad hanc magna facta est per religiosam professionem accessio: nec dubitabant dicere, quibus familiariter utebatur, nullam è nostris legibus ab illo præteritam videri, aut negligentius observatam. Externi vero, quorum ex animis vel hæresim vel vitia conabatur evellere, unum esse testabantur, cui resistere nequirent. Integrum aliquando pagum, ab aliis frustra tentatum, ab errore ad veram religionem traduxit. Mendicantium turbam ad collegii valvas quotidie confluentem sub horam prandii, Spira ac Moguntia complures annos erudit. Conciones orans, ac ferè genibus nixus, componebat. Afflicti corporis ardore tanto tenebatur, ut inhibendus esset. Rogatus cur labori modum poneret nullum, respondebat: Cur tandem ad Societatem veni? Quærenti etiam quorsum in colenda Beatissima Virgine tam diligens ac multus foret: Quia mihi compertum est, inquit, neminem aut religiosæ vocationis, aut salutis adire periculum, qui MARIÆ in fidem clientelamque totum se contulerit.

Perperam in annum MDCVIII. scriptores vulgo nostri rejiciunt obitum P. Francisci Benavidis Hispani, quem è certissimis sextæ Congregationis Actis constat MDCVII. mortem obiisse. Quamquam ejus omnis vita, mors quædam jure potuit appellari, adeo sibi omnes vitæ suavitates interdixerat. De illo Pater Hieronymus Florentia dicebat, se neque meliorem animam, neque deterius, quam P. Benavidis, corpus cognoscere: non solum quia tenui & incommoda utebatur valetudine; verum etiam quia suo corpori, quamcumque posset molestiam exhibebat: tam inimicus illi erat, imo tam sanctè amicus!

Corporis duræ tractationi conjunxerat humilitatem: quæ si absit, plerumque accidit ut isti austeritatis amatores, domito corpore, indomitos animi motus & effrenatos retineant; protervi, contumaces, iracundi; tam superbè sui æstimatores, quam pravè contemptores aliorum. Benavides id studebat unum ut lateret; ut splendorem natalium tegetet; aliasque, unde nomini celebritas paratur, dotes: aut si cogeretur in lucem hominum prodire (quod propter gesta in Societate munera, & collegiorum curam ipsi sæpe demandaram effugere non poterat) id agebat certè ut omnium infimus videretur. Servorum occupabat ministeria: cum plebecula, & pueris sedebat in templo: de se suisque rebus parcè

ac

76.  
Patrocinium B.  
Virginis.

77.  
Jungenda mor-  
tificationi hu-  
militas.

ac demissè; de alienis quanta poterat cum laude loquebatur. Electus Toletanæ Provinciæ suffragiis, ut Congregationi Romanæ Generali VI. interesset, Genuam attigit ille quidem, sed jactatione navis æger: ac paulo post occupatus febris ad meliorem vitam migravit in Senensi urbe, sub Calendas Decembres. Ejus obitum in ipso temporis articulo Romæ divinitus cognovit vir spectatæ probitatis, & veteri cum illo familiaritate junctus. Illud quoque pertinere ad indicandam viri sanctitatem multi putaverunt, quod post ejus mortem observatum fuit. Erat ipsi, dum viveret, peculiaris consuetudo cum uno è nostris: amicitiam similitudo morum & par pietatis ardor strinxerat arctius. Sæpe de rebus divinis inter se conferebant sermones, & mutua perfectæ vitæ desideria fovebant. Vixi sunt aliquibus conjunctiores, quam religiosæ communitas vitæ pateretur. Hoc ubi sensit Benavides, ita cum socio convenit, ut inter se omnem omnino familiaritatem abrumperent, & quam longissimè disjungerentur. Ac sane alter Indiam expetiit: unde majorum jussu post aliquot annos in Italiam rediit, & morbo in eadem urbe Senensi correptus, in eundem cum amico tumulum illatus est. Juncti sunt feliciter in ipsa morte, qui se virtutis & obedientiæ studio disjuncturant, felicius in cœlo jungendi.

